



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

Dvx viæ, quatriduo lustrandi Romanas omnes Antiquitates. VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

## AQVAE-DUCTVS.

Aquā Virginem Tiberius Cesar induxit, Nicolaus v. Pont. restaurauit anno 1554. Pontif. VII. ut præfert inscriptio.

FONTEM FELICEM de suo nomine ante Pontificatum Xystus v. trino gurgite in Vrbem induxit. Alij Pontifices alias aquas fontesque, & aquæductus instaurarunt.

D V X V I A E  
QVATRIDVO LVSTRANDIS  
R O M . V R B I S A N T I .

## QVITATIBVS.

## CAP VIII.

Ex Iac. Boissardi Vesuatinī TOPOGRA-  
PHIA v. Rom.

## D I E S P R I M V S.



VATICANO auspicabor, in eorum potissimum gratiam, qui ex Hetruria Urbem ingredientur porta Vaticana, quæ Castello S. Angeli adiacet. Hic prata Quinii, quæ alij Pincij fuisse autummat, hodie, A-prata: locus est amoenissimus, quo iuuentus Romana ambulando laxare animum solet.

Porta Aelia, vulgo Castelli, dicit ad Hadriani Imp. molem; quod sibi & Antoninis sepulcrum extinxerat, opus amplum, solidum, & latericum, sed nunc gradibus pertusum, ut commodè

modè habitetur , machinisque resistere queat,  
præsidiumque sit summorum Pontificum : qui  
eò se per porticus , ac meatus , vulgo *Curritoria*  
nominant ( vt obessi ab hoste tuti sint ) secreto  
conferre possunt : Olim *Crescentius* quidam  
per vim tenuit, & urbem : nunc Pontificum est,  
& *Castellum S. Angelis* hodie appellatur, ab arge-  
lo, vt fama est, Urbem gladio propugnâte. Spe-  
ctaturque in apice Angeli statua : Auxit, fir-  
mavitque egregiè *Alexander VI. Borgia*, vt in-  
scriptio ad pontem testatur. Marmora , colum-  
næ, & statuæ in Vaticanum templum, S. Petri,  
Palatiumque translata sunt . Visuntur tamen  
*Hadriani* Imp. armati caput , ac Palladis. In  
conclavi superiore in locellis ( Itali *Nischos* vo-  
cant ) trium illustrium antiqua marmora con-  
spiciuntur. Cetera ad rem spectant militarem,  
vt machinæ quibus ter quotannis in Pontif.  
honorem , atque Petri ac Pauli festo , cetero-  
rumque Apostolorum, ignes artificiose iacu-  
lantur.

Hinc Pons Aelius, cui arx illa dominatur, sic  
dictus, quod ab eodem Aelio Hadriano Imp. in  
sepulcri gratiam sit conditus . Hodie Pons Ca-  
stellii dicitur. Statuæ utrimque Principum Apo-  
stolorum affabré factæ, auspiciis Clemētis VII.  
Pont. cum Tiberis inundās Urbem pontemq; val-  
de deformatasset, anno huius sæculi XXX.

In ponte spectabis è regione Xenodochij  
S. Spiritus , ruinas *Pontis triumphalis* , qui colla-  
psus est: itaque dictus , quod per eum trium-  
phantis pompam in Capitolium agerent.

*Burgum* vocant illam Vaticanî partem om-  
nem à ponte Palatium versus : olim Silua fuit  
& lucus Vaticanus ante Alexandri II. Papa  
tempora in quo pyramis erat sepulcralis P. Sci-  
pionis Africani , cuius adhuc quædam visuntur  
in ea templi area , quæ *Paradisus* dicitur ; Nux  
pinea

pinea ingens ex ære, æreiisque pauoness inaurati. In Burgo palatia ædificiis illustria sunt:

1. Cardinalis Dandini ad Diuæ Catherinæ. Hic caput è marmore Agrippinæ matris Neronis: Hadriani item Imp. & Antinoi Bithymi, dilecti pueri. Et M. Aurelij, ac Sabinæ cuiusdam mulieris: alterum Hadriani simulacrum, sed mutilum.

2. Card. Strozzæ, in quo inter cetera, egregium armamentarium omni genere armorum instructum, cum huius ætatis, cum veterum, exterarumque gétium. Bibliotheca item egregia. Hic & alciones visæ, seu aues paradisi, quas Apodes nominamus. quæ spectatæ colores variè mutant: quales & in conclavi Ducis Vrbini, Pisauri conspiciuntur, ut & Canopi statua in gemma ex Aegypto, sceptra item pretiosa, &c.

3. Campegorum ad dexteram, & Parisinum illi oppositum. Vtrobique signa, & picturæ.

4. Domus Petri de Radicibus. Hic Bacchus pampinis redimitus, & Satyro innixus, dextera vasculum tenens. Musæ III. longis institis amictæ: una librum, altera Musicum instrumentum, tertia latuam tenens: operis est laudatissimi. Caroli Magni caput, sed dissimile ei quod in Prætorio apud Noricos ostentant, pro vera effigie. Fragmenta item mutila Cupidinis, Herculis, & Floræ.

5. CAESIORVM Palatium ad S. Onuphrij portam. Eius area prima plena statuis, quæ in imagine sculptæ circumferuntur; plena inscriptionibus: quæ libro pererudit De gente Cæsia, Romæ edito, pleræque continentur.

Hic Hippolytæ Amazonis icon, à Mich. Angelo Bonaroto, sculptorum principe valde laudata ab artificio, ac proportione. Altera Apollinis, ut putatur. Tertia Sabinæ mulieris, nihil illa

illa Amazonide inferior , nisi quod brachii  
mutila.

In horti proximi area prima, Bacchus basi  
impositus visitur : in altera vas aheneum cum  
Fauno : in tertia Neptunus in basi : in quarta,  
Apollo barbitō tenens. Hic & marmor Agrip-  
pinæ, filiæ M. Agrippæ: & Iuliæ, Augusti Cæs.  
filiæ . Pallas item armata, & Hermaphroditus.  
Ad dexteram Fons est . Vndique circumstant  
**xxii.** Termini marmorei , Faunus Iuppiter  
Hammon, Pompeius magnus, Demosthenes, &  
Speusippus Philosophus , ut creditur , sororis  
Platonis filius.

Portæ obiecta est ROMA de Dacia victa  
triumphans, throno insidens , galeata, amicta,  
lauream manu tenens coronam : Dacia mœ-  
rentis habitu. Trophæa circum armaque bar-  
barica, & duo vieti Reges semicolossei , e lapide  
Numidico. Duæ item Parcarum statuæ, toti-  
demque Sphynges , ex eodem lapide , basibus  
impositæ.

Proximum est ædificium rotundum , quod à  
re Antiquarium nominat. In fronte est Iouis vul-  
tus porphyreticus : & hinc Othonis Imp, illius  
Poppææ coniugis imago.

Supra statuæ v. Palladis, Cereris , Victoriae,  
Copiæ, & Dianæ. Intus est Somnij, vel Quietis,  
seu, yt aliis placet , Aesculapij papauer tenentis  
simulacrum. Mox Sabinæ mulieris altera ima-  
go. In porta, Iouis colossea facies ad sinistram,  
ad dextram Herculis, in medio est Palladis. Sub  
Hercule est Satyrus, cui astat iuuenis inflans fi-  
stulam septemplicem : qua nihil vidi factum  
elaboratus, Scopæ putatur opus. Sub Ioue est  
Pyrrhi Regis Epirotarum caput galeatum: Pro-  
xima est Leda, malum tenens, & Cupido. Ledæ,  
vt & Satyri, statua versatilis est, & absolutissimi  
operis. Prope sunt capita Portiæ Catonis, Io-  
uis,

uls, Ganymedis, Diana, Neptuni: & antiquissimum signum Aegyptium, quod dicitur, caput Asaroth matris Osiridis, vel ut aliis placet, Opis, seu Cybeles, matris Deum.

Ad portam statuae duæ: ad laevam arietis Phryxi; è candidissimo marmore. Basi inscriptum est: SECURA SIMPLICITAS: ad destram Leo, in cuius basi legitur. INNOXIA FORTITUDO. Iuxta est Heliogabalus Imp. integer, stolatus; In eius basi antiqua affabre sculpti sacrificantium ritus & habitus. Supra est Imperatoris imago triumphalis, curru quadriujo vecta. Ibidem est simia ex Aethiopico lapide, qualis ab Aegyptiis adorabatur.

In coenaculo Bacchi caput è rubro lapide. & supra Neptunus quadriga vectus, & Pomona dea bis ibi spectatur.

Musæum Card. magnificum; cuius pavimentum vermiculatum: sedes tessellatae.

Visuntur hic capita illustrium Romanorum:  
 Scipionis Africani M. Catonis  
 M. Antonij III. Viri C. Iulij Cæsaris  
 Septimij Seueri. L. Syllæ  
 C. Neronis Iuliæ Mammeæ.  
 M. Antonini Caracallæ, Hadriani, Macrini,  
 Cleopatræ, Faustinæ, & Sabinæ matronæ. Bibliotheca librorum antiquorum & recentium.  
 In interiori conclaui gemmæ, lapides pretiosi omnis generis, artificio potius sculpturæ, quam materia commendatae. Iuxta est Scipio Nasica, M. Brutus, Hadrianus Imp. Cupido dormiens, & puer anseris gutturi gemina constrin gens manu. aliaq; ab artificibus laudata monumenta. Ut vel huius vnius palatij causa Romanam quis antiquitatis amans (vt cetera desint omnia, quæ sunt plurima) proficiisci debeat.

PALATIVM PONTIFICIS  
 In edito Vaticani loco situ lögè augustinum,  
 quale

quale Pōtifices decet Maximos: qui relicta La-  
terana sede ob amoenitatem loci & salubritatem  
huc commigrarunt. Opidum potius dixeris,  
adecō amplum est, quām domum: Nos ad Anti-  
quitatem quæ spectant dumtaxat hīc perse-  
quemur.

Sacellum hīc Xysti, quod amplissimū æquat  
templum, quō sede vacante conueniunt Cardi-  
nales creando Pontifici Maximo, & Con-  
clave vulgō nominant. In sacello, Dei iudicium  
supra altare depictum visitur cum stupore mor-  
talium, etiam summorum pictorum. Opus est  
magni illius Michaelis Angeli, toto orbe vel  
illo opere celeberrimi, qui & vicinum Paulinum  
saeclū, sed longē illo minus depinxit. Certè lu-  
dicij extremi pietura sæpius in æs incisa ex-  
emplar ac typus est pictorum; hominum situ  
vario mirificè commendatur, ac symmetria.

Horti hīc sunt, qui ab amoenitate hodie Bel-  
vedere appellantur. In vnius hortuli peristylio,  
area media variis exoticis consita arboribus:  
hinc TIBERIS spectatur: innitur enim lupæ  
lactanti puerulos Romulum, & Remum: illuc  
N I L V S est, cui Sphynx subiacet: circum quoque  
Iudentes pueruli xvi. cubitorum altitudinem,  
quibus excrescit fluuius, designantes, auctore  
Plinio In basi sculpti Hippopotami, & Cro-  
codili Nilo propriæ animantes. Repertum  
hoc monumentum olim ad templum S. Stephani  
di Caco: & pictum æreis typis est in ma-  
nibus.

In peristylio Laruæ marmoreç singularis ar-  
tificij xiiii. visuntur.

In loculis seu repositoriis, quæ I/chos ab Ita-  
lis vocari diximus, est à tergo Nili ANTINOV<sup>S</sup>  
é marmore cädidissimo, artificio mirabili; qua-  
lem Hadrianus Imp. fieri iussit: qui mortuo  
diuinos honores, sacerdotes, templaque decre-  
uerit:

uerit: & urbem eius nomine in Aegypto condiderit.

Ad dexteram illi Arnus fluuij habitu est, hominis iacentis, vnamque effudentis: ad laeum Cleopatra est, dexteræ innixa.

2. In secundo loculo Venus Erycina est è balneo prodiens, pudica tamen, &c.

3. Alio loculo, eadem cum Cupidine collaudens, cui inscriptum: VENERI FELICI SACRVM SALVSTIA HELPIS D D. Iuxta est Bacchus, brachiis munitus, & Hercules ille, licet truncus, usque eo tamè à Michaelangelo predicatus, ut omnium signorum quæ Romæ sunt, absolutissimum esse dixerit. Artificis Apollonij nomen hinc inscriptum: ΑΠΟΛΛΩΝΙΟC NECTOPΟC. ΑΘΗΝΑΙΟC. ΕΠΟΙΕΙL pendente nimirum titulo, faciebat, ut Plinius in præfat. Natur. hist. de artificibus testatur, & Basilius Magn. orat. ad iuuenes. Iuxta est mulieris truncus, & Mercurij. Hic & arca marmorea, cui insculpta est Meleagri venatio, operæ musiuo: quæ tabula reperta est in vinea Vaticana Pontificis.

4. Quarto loculo est Commodi Imp. statua, Hercules habitu & forma: quo se nomine vocari, & efformari iusscerat, ut historici Græci, Latinique testantur. Brachio puerum tenet, cuius imprudentia, deiectis è fenestra pugillibus, quibus coniuratorum nomina prodeban- tur, cæsus est, &c.

5. Quinto loculo Apollo est Pythius, cui se implicat squamosus serpens; Palleolum gestat brachio, cetera nudus: pharetram gestat, & arcum.

6. Sexto loco est LAOCOON cum duobus filiis, quos gemini dracones flexuosis gyris implicant, ut à Marone i. Aeneid. describitur. Opus est omnium, quæ toto orbe spectantur, absolu-

absolutissimum, quodque Michael Angelus  
aris miraculum vocare non dubitauit; & ante il-  
lum C. Plinius, qui factum esse asserit ab Age-  
sandro, Polydoro, & Athenodoro, sculptoribus  
Rhodiis sui saeculi celeberrimis, seruatumque  
ait in Titi Vespasiani palatio. Inuentum autem  
in Carinis ad aquarum receptaculum, quæ vul-  
go Sette sale dicuntur: In proximo cænaculo  
Cleopatré est morientis statua, ea arte perfecta,  
ut per vestes tenuissimas è marmore factas,  
corporis forma numeris omnibus absoluta ap-  
pareat. Ibidem labrum est marmoreum, ex va-  
riis lapidum preciosorum generibus, cuius æsti-  
mari premium non potest, nihilque par alibi vi-  
sum. Effossum olim è Titi Vespasiani Ther-  
mis: dignum vas, quo tantus Imperator lau-  
retur.

Proximè spectatur Mercurius, & Cybele,  
vertice turrita, cui astat Leo, & Atis, adnixus  
pinui, ex qua pendet fistula, & cymbalum. Hic  
& fons rusticus, in quo Dij & monstra marina  
expressa. Dici non potest quam spectantibus  
voluptatem admirationemque ad stuporem ad-  
ferant vnitieisa. Hic & effigies Principum  
variorum: in his Pauli III. p. m. & Caroli V.  
Imp. Aug. Michaelis Angeli manu depictæ. Ad  
Heluetiorū stationem marmorea statua vnius  
è Curiatiis, opus egregium. Plures vidi pugna-  
tium habitu apud sculptorem Odoardi Farafellii  
Card. amplissimi.

In aula Constantiniana (vt reliqua omit-  
tam, sunt enim innumerabilia:) picturæ sunt  
summorum artificum. vt eius Imp. pugna ad  
pontem Mulvium cum Maxentio, partaque  
victoria: opus Raphaelis Sanctij Utbinatis,  
cuius tumulo inscriptum fuit, illo sospite Natu-  
ram nec vinci, nec mori potuisse: quod Elogium  
aliij Michaeli Angelo tribuunt.

Pala-

Palatium hoc Pontificium à Nicolao III.  
P.M. inchoatum, auctū post ab aliis: perfectum  
à Iulio II. & leone X. Tandem ædificiis illu-  
stratur picturisq; à Xysto V. ut machina cælo  
assurgere pendereque videatur.

### DE TEMPLO S. PETRI VATICANO, & Bibliotheca augusta.

**Q**VIA SUPRÀ dicere me memini, cùm de VIII.  
Vrbis Ecclesiis, quæ maximè indies Reli-  
gionis ergo frequentantur, agerem, de que Ro-  
mæ mirandis, nihil attinet hic referre.

Templo S. Petri adiacet sacellum S. Petro-  
nelliæ, quod fuit olim Apollini sacrum, ut &  
S. Mariae in Febre, olim Marti.

In magna templi area Obeliscus integer ex  
lapide ophite erectus est auspiciis sumptuque  
Xysti V. è Circo Neronis, ad sinistrum templi  
Vaticani latus, anno 1586. opera Dominici  
Fontanæ architecti Comensis. Incertum ma-  
iore arte an audacia in tanta mole trans-  
ferenda. Est enim altitudo pedum 170. præ-  
ter basim, quæ continet 37. Obeliscis in in-  
feriore parte latitudo est pedum 12. in superio-  
re verò octo. Pondus eius sine basi librarum est  
956148. Instrumenta omnia decies centena  
millia, quadraginta duo millia, octingentas &  
viginti quattuor libras æquabunt. Res nostro  
sæculo stupenda, & cù antiquis comparanda,  
nisi si, ut sit, præsentia fastidimus, & aliena  
plus æquo miramur.

Circus & Naumachia Neronis non procul  
hinc, in quibus & ludi nauales exhibebantur, &  
Martyres crudeli suppicio, Christum professi,  
feris obiiciebantur. Sed vicit piscatorū constan-  
tia, ut victa idolatria templū ibidē Deo Opt.  
Max. post sit conditum longè augustissimum.

Portæ Burgi numerantur quinque:  
Prima, Aelia, ad Castellum S. Angeli.

2. S. Petri, sub horris Pontificiis:

3. Pertusa, in editiore collis parte.

4. Palatio Cæsiano vicina.

5. Triumphalis, nunc S. Spiritus.

Ad hanc Borbonius iectu glandis plumbei per-  
fuit, & per eam vrbs capta est.

Xenodochium S. Spiritus primum ab Inno-  
centio III. conditum, post ædificiis auctum à  
Xysto IV. ubi peregrini ægroti libenter acci-  
piuntur, tractanturq; verè Christianè medico-  
rum summa cura & hominum: ut & ciues ibi  
qui familiam non habent, suo ære libenter cu-  
rentur. Honesti etiam Pontificis clientes at  
inopiam redacti.

## I A N I C U L V M.

Circus Iulij Cæsaris sub Ianiculo fuit. Eius ru-  
inæ in vineis ad templum S. Onuphrij, sed solo  
æquatum. Mons hic extenditur à S. Onuphrij  
templo usque ad Transtiberinā Vrbis portam;  
quam nunc Ripam vocant, ubi erat Naumachia.

Hic ruinæ per exiguae sepulcri Numæ Pôpilij  
ostenduntur, non tamen satis dignæ regio  
sepulcro, nisi quod luxus primis illis tempori-  
bus nondum Vrbem inuaserat.

Mons aureus, sic dictus à scintillante colore  
aureo sabulo, in quo ædes S. Petri est. Rotun-  
dum, illi, Dorica structura, adiacet Sibyllæ Ti-  
burtinæ creditum sacellum, quale illud, quod  
Tibure videtur. In illius altari summo pictura  
Christi transfigurati videtur, opus Raphaels  
Vrbinatis; Christi item flagellis cæsi Bartholo-  
mæi Parmensis penicillo expressa. Sepulcrum  
item Iulij III. Pont. Max. quod sibi viuens sta-  
tuit, iacet tamen in Vaticano, loco humili.

Portæ

*Porta S. Pancratij*, olim Aureliana dicta, seu Septimiana, ut à Septimio Seuero restaurata, ad quam & aram & Thermas exstruxit. Extra portam existat *Aqueductus* non altus, opere per rhombos distincto. Per hunc aquas ex Alsetino lacu in Thermas illas & Philippi, & in Naumachiam Augusti fluebant.

Vbi hodie templum S. Mariæ Transiberinæ, *Meritoria Romanorum* fuisse putantur, vbi veterani & exauctorati, qui merere amplius non possent, viuerent, seque curarent senes. Moribus etiam vicinum erat Aesculapij fanum, cui ut salutis Deo sacrificabant.

*Naumachia*, locus erat bello & classi instruenda, qualis hodie apud *Venetos Arsenalē*, instrumentis nauticis, nauibusque fabricandis locus. Hodie dicitur à *Ripa*: quō nauigia per Ostiam in Vrbe inuehuntur.

Pons Aurelius, seu Ianiculus regionē Transiberinam Viti iūgit. Olim Marmoreus dictus. Post bellis ciuilibus fractus, *Ponte torto*, vocatus. Tandem à Xysto III. P. M. in eam restauratus magnificentiam, *Ponte Xysto* nominatur. E regione Naumachiz reliquiæ Pontis sublicij conspicuntur: qui dum bello Hetrusco à Rom. abrumptur, hostium impetum Horatius Cocles solus sustinuit. Aemilius Lepidus lapideum post fecerat: ex quo Elagabalus Imp. monstrum hominis, in Tiberim saxo ad collum alligato, præcipitatus est.

Non procul inde *Prata Mutia*, quæ Mutio Scæuola data ob egregium facinus coram Personæ Hetruscorum Rege.

Turres duo ad portum Ripæ à Leone IV. exædificatae, ad arcendas Saracenorum incurssiones qui Ostia in Tiberim inuehebatur. Qua tempestate & Burgum Leonina ciuitas dicta: auxit muniuitque Alexander VI. Burgia, qui &

ex Hadriani mole arcem inunitissimam fecit; turribus & vallis adiectis & meatu.

Insula Transtiberina Tarquinij Superbi temporibus nata creditur è segetibus & sordibus, non admodum lata, sed stadiis duobus longa. Aesculapio cur olim sacra Romanæ historiæ referunt, & Scriptor de viris illustribus, cap. 22. Templum hodie S. Bartholomæo dedicatum est. Nauis illius forma lapidea, qua serpens Epidaurius aduectus Romam, in fine insulæ appetet, Tiberis cluuiione nuper detecta.

In hortis Farnesij Card. transtiberinis, spectatu digna duplex Venus marmorea: altera conchâ manu tenens, & pueri inuersis palliolis. Monumenta item seu pilæ variæ, in quibus figuræ variæ hominum, leonum, mulierū, nouem Musarum, Bacchantium, Satyrorum, Sileni cbrij, puerorum vuas gestantium. Tabula marmorea, quæ fasces & secures Consulares exhibet. Columna fracta cum Græca inscriptione memorabili, Tibure aduecta, vel, vt alij, Hierosolymis in Italiam translata.

In domo Nic. Guisæ statua nudi hominis, quæ à cultro adiacente vulgo Aguzæ colelli dicitur. Puto gladiatoris potius esse diamicantis.

Pons Gestius siue Esquilinus Transtiberinam regionem cum insula coniungit, à Valentianino & Valente Imp. instauratus, vt inscriptio testatur. Hodie pons S. Bartholomæi à vicino templo, quod olim Aesculapij fuisse diximus. Est & ibidem B. Ioannis Baptistæ templum, olim fuit Louis. Fauni quoque in superiore insulæ parte, Tiberis inundatione funditus fertuersum. Ruinæ ingentes adhuc apparent.

Pons Fabricius, qui & Tarpeius, insulam ubi coniungit, è regione Theatri Marcelli. Hodie pons quatuor capitum dictus, ab Hermis marmoreis quadrifrontibus hic erectis. Sacella Solis

Solis & Lunæ vtrimeque posita sunt.

Theatrum Marcelli ad pontem Fabricium ab Octauiano Aug. in honorē Marcelli Octauiae sororis filij exstructum: Hodie Sabellorum ædes occupant. Olim octoginta millium hominum capax fuit: cui Theatro Octavia Marcelli mater Bibliothecam libris omnium disciplinarum instructissimam honoris gratia adiunxit. Porticum quoque Octavianī (cuius pars iuxta Theatrum Marcelli adhuc superest, vbi fabri ferrarij habent officinas) in eiusdem sororis honorem idem Augustus fecit: & inter statuas fuit Satyrus, Praxitelis opus, & nouem Musæ, Timarchitidæ: quarum duæ hodie in hortis Carpensibus: & Iunonis simulacrum, quod est in vinea Iulij 111. Pont. Max. ad viam Flaminiam. Ad porticum Spei templum Germanicus Cæsar adiecerat, ad forum olitorium, qui locus hodie Piazza Montanara: cui iunctum Auroraë fanum, Romanis celebre, hodie ne vestigium quidem reliquum.

In Sabellorum domo, quæ est in Theatro Marcelli, in tabula marmorea sculptus leo, eum tribus ad pugnam armatis, variaque marmora. In hortis pilæ diuersæ, in quibus Herculis labores. Imagines viriles, & Mercurij fragmenta.

S. Nicolaus in carcere, olim carcer es' plebis erant, vbi & Pierati ædem M. Atilius Glabrio, quod filia ibi parentem lacte aluisset, dedicauit, teste Val. Maximo.

S. Andreas in Mentuza, fanum fuit Iunonis Matutæ à C. Cornelio Cos. sacratum sub Capitolio.

Pons S. Mariæ Transtiberinæ, seu Mariæ Aegyptiacæ, à vicina æde sacra, ruptus apparet: olim Senatorius dictus, & Palatinus; quod Senatores per eum ad consulendos libros Sibyllinos in Ianiculum religiosè graderentur, & in

I 3 Pala-

Palatum ad Imperatorum ædes redirent.

Pilati domus, quam hic vulgo fabulantur, lauacra potius seu sudatoria Laconica, ex crebris caminorum in pariete figuris videntur. Forum Holitorium, hodie est Piazza Montanara. Ibidem ara Carmentæ, quam in honorem Ni-

costratæ matris Euander erexerat.

S. Mariæ Aegyptiacæ templum, longo utrumque columnarum ordine, olim Fortunæ virilis fuit, vel ut aliis placet, Pudicitiae matronalis de-lubrum: Quæ de Bucca Veritatis vulgus fabulatur, Siculis gerris nugisque vaniora sunt: Qui lapis ad Scholam Græcam ostenditur, ut plures alij Romæ, ad stlicidia portiūs, aquarumque receptacula pertinet.

In domo Gregorij Serlupi ad S. Angelum in Pescaria, caput est Vespasiani Imp. Colosseum, è candidiss. marmore, quo nihil Romæ exstat absolutius: In propinqua domo Gentilis Delphinij multa illustrium capita; L. Veri & M. Aurelii iuuenis, Bacchi: pueri suauiter tidentis, aliaque sex: Vrnæ item & tabulæ variæ sunt.

In domo Valerij della Croce, ad Iudeorum vicum, in hortulo visitur Hercules, & Hippolyta vna Amazonum equo insidens, Pan leonina indutus, cum fistula v i i. calamorum. In pila Meleagri venatio repræsentata: in deambulacro varia capita, vt & Apollinis statua & Herculis Anteum brachio sustinentiis, que suis pedibus sine basi stat. Vacca item anea, & tigris marmorea. Apud Onuphrium della Croce est rogati statua, adscriptumque in tabula: VALERIVS PVBLICOLA. & humani corporis fragmentum à Mich. Angelo magnopere laudatum. Apud Hieronymum Crucium in tabula sculpti quinque Fasces Consulares cum lecuribus, ut indicat titulus appensus. Item Mc-

Medius Fidius, Honos quoque & Virtus, quos  
Amor coniungit.

Asylum fuisse putant à S. Maria Aegyptiaca.  
Schola Græca, ad Tiberim : ubi Misericordia ædes fuerit. Alij in Capitolio Asylum  
collocant, ab Augusto Cæsare, ut scelerum oc-  
casionem sublatum.

S. Stephanus rotundus, à figura orbiculari è  
regione B. Mariæ Aegyptiacæ: olim Ara Vestæ  
fuit, à Numa Pompilio ad Asylum erecta. Co-  
lumnis Corinthiaci operis vndique fulcitur, &  
foramine in fornice lumen, ut & Pantheon, ad-  
mittit.

Rupes Tarpeia in extrema Capitolij parte,  
qua spectat hanc Vestæ aram. Ex hac Manlius  
regni affectati reus ex S. C. præcipitatus est.

Domus Ouidij hic ostenditur in ruinis ad  
templum S. Mariæ della Consolatione. Alij po-  
nunt in vico Iugario ad portam Carmentalem.  
Vestæ templum à Romulo condita iam Vrbe  
exstructum, inter Capitolium & Palatinum,  
vbi templum S. Mariæ della Grace ( alij volunt  
S. Mariæ Consolationis ) Hic Vestales ignem  
perpetuum seruabant: & Palladium, ab Aenea  
ex Ilio allatum in Italiam cum Penatibus Diis.  
Incenso templo in Veliam translatū est simula-  
crum, vbi nunc templū S. Andreæ in Pallara.

Forum Boarium, olim dictum, siue quod bo-  
ves ibi venderentur, siue quod Euander, ob re-  
ceptos Geryonis boues, imperfectoque locum  
illum consecrarit. Hic ad S. Georgium in Ve-  
labro, elegans spectatur Arcus, Septimio Se-  
vero Aug. & M. Aurelio Imp. ab argentariis  
& negotiatoribus positus ; sacrificantium  
figuris insignitus, cum inscriptione eleganti.  
IMP. CAES. I. SEPTIMIO SEVERO  
PIO PERTINACI AVG. &c. quam Anti-  
quarij descriptam dabunt.

Templum IANI quadriformis Arcui adiacet: quadratum, & totidem amplissimæ portæ; superius XII. receptacula, quibus totidem mensium simulacra olim recondita fuisse opinantur. Illi Deo Romani sacrificabant ut sacrificiorū principi, qui idem & *Vertumnus* sit dictus. Multa Romæ Iano templa dedicata. Ad portam Carmentalem iuxta Theatrum Marcelli, Numa extruxit portis duabus: quæ belli temporibus patebant; Pacis verò claudebantur. Ter id verè accidisse ferunt Historici. Primum à Numa conditore: iterum à T. Manlio Cos. tertium ab Aug. Cæsare post bellū Actiacum. Suetonius & Sex. Victor, Neronem quoque (sed dicas fortasse gratia) clausisse scribunt. Sunt in manibus nummi, in quorū parte aera fusa cusum legitur, PACE POPVLO R.O. VTIQ. PARTA IANVM CLVSIT. Hodie S. Catharinae sacrum est, non procul à S. Maria dell'Anima.

Velabri ædes, vbi hodie S. Georgius in Velabro dictus: siue à velatura sic dictus, siue à vectura: Naulum enim illic soluere Tiberi inundante, qui ad Auentinum transirent, & in tribus in aliam ripam transuehi cogebantur.

S. Maria in Cosmedin, hodie Schola Greca dicta, fortè à verè Græca, siue quod Græcorum olim fuerit. S. Augustinum ibi docuisse fabulantur, ut & quæ de Bucca veritatis nūgantur, lapidi pertuso facie insculpta. Huic obiaccebat Tiberim versus Herculis Victoris templum, hodieque apparet ædificium forma rotundum, dirutum fuit à Xisto IV. P. M. Muscas non intrabant, quod sic Myagrum deum rogasset, neque canes, quod clauam foribus appendisset: neque serui aut liberti, sed tantum liberi & ingenui ingrediebantur. Tanta in veneratione antiquitus ille fuit, si credere fas est.

Spe-

*Spectatum admissum teneatis amici?*

Ara ibidem Maxima ab Hercule erecta , & Aemilius iuxta Pudicitiae Patriciae fanum posuit: ut in vicino lōgo Pudicitia Plebeia Virginia, quod ex illo pulsa esset , quia nobilis cum esset plebeio viro nupsisset. Neutrius hodie nec vola nec vestigium reperitur.

AVENTINVS mons olim infaustus infelici augurio Remi cum Romulo contendentis, ibidemque ut regni conhortis occasi. Ancus Martius Romanorum rex 1111. Sabinis habitandum concessit: Alij sub Claudio Imp. primum habitari cœpisse scribunt . Nomen hodieque retinet.

S. Sabinæ templum, in Auentini vertice olim Diana idem Ancus rex constituit, vel ut alij volunt , Seruius Tullius, sextus Rom. rex: qui, ut serua cornicularia natus, seruis omnibus ibi Augusti Idibus quotannis diem festum instituerit:

S. Mariae Auentinæ, delubrum olim fuit Bonæ Deæ, ad Diana, à Claudia Vestali in Faunæ honorem , sororis Fauni Latinorum regis ædificatum , & inter Deas relata est.

Iuxta Iulij Cæsaris domus erat , cuius uxore Calpurnia ad nocturna sacra Bonæ Deæ profecta , Clodius amore captus , ut potiretur, muliebri habitu est ingressus , deprehensusque ab ancilla: Plutarch. & Asconius.

THERMAE in Auentino triplices.

1. Decianæ, à Decio Imp. constructæ, quarum ingentes ruinæ ad ædem S. Priscæ , quæ olim Herculis fuit.

2. Varianæ his adiacent: hodie ad S. Alexiūm , murorum & arcuum magnæ reliquæ Tiberi imminent .

3. Traiani , cum palatio , in ultima parte Auentini . Ruinæ sunt ad Farnesianam urbis munitionem Pauli IIII. P.M. & portam Tergemini.

minam in vinea Francisci Albertini ciuis Romani.

Iuxta S. Mariæ Auentinæ templum Vinea est Valerij della Croce, in qua Consularis statua duplex, sed altera minor, aliæque, sed quarum ignorantur nomina.

Remoria via, nomen hodie apud Romanos retinet, sic à Remo dicta, infeliciter auspicante, cæloque ibidem à Celere ruitro, Romuli iussu, & sepulto. Dicitur à Circo maximo per Aventini dorsum rectâ ad molem illam Pauli tertij Pont Max. qua Vrbem muniit.

Spelunca Caci, de quo in Herculis fabulis, rupes est aspera & exesa, è regione templi illius. Ibidem & Herculi templum extructum.

Furæ Gemoniæ non procul inde, ubi facinorosi vncis tracti immaniter trucidabantur. ut Vespasiani iussu Vitellus Imp. quod Sabinum eius fratrem necasset.

Porta Tergemina, antiquissima, opere late-  
xicio, tota ferè apparet ad radices Aventini, iuxta Tiberim, ad vineas quæ Traiani Thermis adiacent. Nomen illi à trigeminis fratribus Horatiis, qui ea egressi, ut cum trigeminis Cu-  
riaciis Albanis pro patriæ libertate dimicarent. Quibus cæsis, ac duobus fratribus amissis, ouans Horatius Vrbem intravit.

Horrea populi Rom. à Diocletiano Imp. in-  
staaurata & aucta, eius nomen sumpserunt, in-  
ter Tiberim sunt & montem Testaceum, cen-  
tum & quinquaginta cellis conspicua. Horum  
ruinæ instar arcis adhuc extant in vinea Iulii  
Cæsarini patricij Romani.

Mons Testaceus vicinus, ex vasta fictiliu-  
m vasorum congerie crevit. Quidam putant figu-  
los vrbis eò testas omnes proiecere solitos, ne  
Tibris fluuius rursus iis impeditetur: Ambi-  
tu duo millia passuum continet, altitudine  
vero

verò CLX. pedes. Ridicula eorum opinio, qui è  
vafis quibus tributa exteræ gètes Romanis fer-  
rent, coaluisse fabulantur. Spacium id omne,  
quod mons ille complectitur, Circus Olympi-  
cus est dictus: ut non sit verisimile, locum, qui  
Romanæ iuuentuti exercenda, cursu, equis,  
quadrigis, luctaque, esset destinatus, fornacum  
excrementis excipiendis datum: cùm figuli Ti-  
beris ripam habitarent.

C. CESTII Pyramis Septemuiiri Epu-  
num, integra ad portam Ostiensem conspi-  
tur, vrbis mœnibus inclusa: saxis ingentibus  
marmoris candidi, ac quadratis. Et licet inscri-  
ptio C. Cestij nomen præferat, commune Epu-  
lonum omnium sepulcrum quidam faciunt: qui  
curam gerebant festorum conuiuiorum, & so-  
lemnium in honorem Deorum, sacrificiorum.

Porta Ostiensis, seu Diui Pauli, ab Aneo-  
Marcio ædificata; dicit enim ad Ostiam, & ad  
Apostoli ædem sacrâ, vnam è v i i maximè fre-  
quentatis. Quod templum columnarū quatuor or-  
dinibus nititur; quæ marmoreæ partim Dorico  
& Corinthio opere constant, partim Attico &  
Ionico: Nullum Romæ templum plures habet  
columnas, vel exquisitius excutum. Aduesta  
autem hæc omnia è dupli portu Ostiensi Ne-  
roniano, & Antoniniano, qui magnificèissimis  
erant scripturis ornati.

Aliud ultra sacellum antiquum vulgo Tri-  
fontane occurrit, per pontem ad Iæuam, relictâ  
via Ostensi ad Tiberim. In porticu porphy-  
reticæ sunt columnæ, rubri ac cinericij coloris.  
Trium fontiū scaturigines intus visuntur, qua-  
rum aquæ sacræ habentur, morbosque depellere  
creduntur. Hic enim B. Paulum sub Nerone  
capite truncatum tradunt.

Hæc die primo diligenter lustrasse  
sufficiat.

I T I.

ITINERIS ROMANI  
DIES SECUNDVS.

**E**X Burgo per Aelium seu Castelli pontem Vrbem ingredienti biuum occurret. Ad dextram Tiberim versus via Iulia est, hodie, *Strada Iulia*: vbi domus Bernardi Alberichi, cuius in hortulo M. Catonis caput, & Leo in hiis equo, qualem & in Capitolio videoas: In ædibus Cenoli statuæ plurimæ supra in conclavi. In altero vico, vulgo *Bauco*, in ædibus Card. Sfortia varia monumēta, & bibliotheca Græcorum librorum calamo exaratorum. In domo Bindii Altoniti, in cubiculo, concinno ordine videntur, effigies Vespasiani,

Mutij Scæuolæ,  
Augusti Cæsaris,  
Antonini Caracalæ,  
Iulij Cæsaris,  
Galeriæ Faustinæ,  
Opilij Macrini,  
Marij septies Consulis,  
Satyrorum elegantium.

Cupido item lupum tenens, & Autumnus, alia-  
que signa marmorea, picturæ que recentes.

Ad dextram Petri Strozziæ palatum plenum  
ornamentis omnis generis. Meleager ingens  
& Atlata, è marmore laudatissimum opus, siue  
artificis manum mireris, siue signorum speces  
venustatem.

Palatiū Card. S. Floræ admiranda multa con-  
tinet, sed communia omnibus persequi nolim.

Pauli Iordanis in monte Iordani palatum  
varia ostendit cum novi, tum antiqui operis  
monumenta.

Apud Ardicium, elegans statua viri, pallio ad  
Ieuam inflexo.

Apud

Apud Vincentium Stampam in Campo Fli-  
sco, in cænaculo illustrium imagines:

Lucretiæ, Iuliæ Titi filiæ,  
Iuliæ Mammeæ, Aelij Pertinacis,  
Drusi fratrij Tiberij Imp. & Tiberij,  
Hadriani, M. Aurelij, Elagabali,  
Neronis, Augusti, Palladis, Apollinis,  
Philippi Amyntæ Macedonis filij.

Satyrus, Venus, puer ridens, Faunus, Terminus,  
Tres Charites, & ignotæ plusquam **xx.** statuæ.

In ædibus Card. Putei, capita antiqua sunt;  
Augusti, Hadriani, Faustinæ iunioris, & alia  
ignota. Inscriptiones variae, & vasa ex alabastro  
& simili lapide, precij infiniti.

In Hiperione, vulgo Parione Apud Fran-  
ciscum Liscam tres statuæ virginis Vestalis, sto-  
la amictæ: Iuliæ Pompeij Magni vxoris, toga-  
tæ: Panis semicapri, ad cuius pedes iacet Aries.  
Sub porticu, Pomona, Siluanus nudus, Fama,  
Bacchus, Archusa nymphæ, Cybele, Faunus,  
qui cauda tigrem tenet, & baculo illi minatur.  
Item Iuno Lucina togata: Hebe Iunonis fi-  
lia, vrna aquam fundens: Apollo truncu sese in-  
flectens, & serpente implicatus, &c. & inscriptio-  
nes variae.

In Card. Medicini palatio capita sunt Iouis,  
Palladis, Iulij Cæsaris, Augusti, & aliorum, Ti-  
bure adiecta.

In extremo Parionis vico Pasquini statua, in  
Urbe decantata (famosis olim onusta libellis,  
nunc prohibitis seuerè edito Pontificum) &  
toto orbe nota. Quædam Alexandri Magni  
fuisse alijs Herculis: neutri satis firmo argu-  
mento, asserunt: certè artificis est non vul-  
garis.

Nec procul inde Cancellariæ vastum est pa-  
latium, quadratum e Tiburtino lapide, ex iuinis  
Amphitheatri Titi Vespasiani exædificatum:  
quod

quod Theatrum integrè dirui vetuerunt Pontifices, ut splendor veteris imperij appareat posteritati. Primo ingressu offert se duplex colossea statua, Opis & Cereris esse putant. In superiore cœnaculo capita sunt Antonini Pij, Septimij Seueri, Titi, Domitiani, Augusti, Geræ Imp. Sabinae mulieris, Pyrrhi Epirotarum regis, Cupidinis, & gladiatori. In conclavi etiam varie, & hominum ignotorum L imagines

Ad angulum ædes Pauli Galli, Romuli caput, & Apollinis pharetrati : item M. Aurelij Imp. Bacchus, pampinis redimitus & vuis, cum Satyro ludens. Opus hoc Michaelis Angeli primum fuisse, cum Florentia Romam veniens famam quæsiuisset, ut Raphaelis Vrbinatisum celebris fastum retunderet, refert hic Iac. Boissardus. Defossum enim humi absque brachio, cum Angeli nomine : repertum creditum est antiqui artificis, æstimatumque mille ducatorum precio. comperto post dolo, ad quingenorum tamen redacta æstimatio est.

Farnesianum forum inter uallo non magno abest; vulgo *Piazza del Duca* nuncupant. Palatium hic angustissimum spectantibus obiacet, quo nullū Romæ magnificenter: à Paulo II I. Farnesio Pont. Max. summis impensis excitatum. Hic tot tantaque Antiquitatis monumenta visuntur, ut sola in libri molem excrescere commode, si prodignitate dicantur, queant. Et quoniam, ut fieri amat, saepè temporibus mutatae, alioque translatæ statuæ sint, non hic Iac. Boissardum sequar, qui nondum absolutum lustrarit ædificium, mutilaq; viderit marmora.

In peristylio porticus inter columnas, duo sunt Hercules, insigni artificio, cum leonis exuviis & claua. Quorū minor ex orientali marmore magnopere commendatur. Basi eius sic inscriptum lego: ΕΛΙΚΩΝ. ΑΘΗΝΑΙΟC. ENOJEL.  
Ad

Ad sinistram Iupiter tonans seu fulgorator est.  
Gladiatores hic duo colossei: ex alterius humeris  
dependet gladius, pede dextro in clypeum po-  
sito cui adiacet cassus & vestimenta: alter ma-  
nu à tergo puerum tenet mortuum. Gradus  
ascendenti Flum: orū occurunt statuæ marmo-  
reæ, iacentiū habitu, vrnasq; tenentium, quibus  
aquam effundant. Mox duo Numidæ reges  
captiui, erecti ad vitramque portæ partem. Hic  
in Cardinalis conclavi egregia monumenta. In  
superiore contignatione Card. bibliotheca est,  
quæ & scriptos calamo libros habet plurimos:  
Musæum item est FVLVII VRSINI Roma-  
ni, hominis doctissimi; qui non urbis sed orbis  
rara ~~xxvii~~ numismatum, gemmarum ac  
librorum incredibili sumptu collegit, commu-  
nicauitq; magnam partem cum posteris, editis  
variis ingenij monumentis, cùm Græcis, tum  
Latinis, quibus Virgilium, Ciceronem, Lyricas  
poëtrias, Græcorum historicorū fragmenta, ac  
Latinorū, mirificè illustrauit: nuper verò ima-  
gines Illustrium amplius c l i i. Antverpiæ ty-  
pis Theod. Gallæi Phil. F. euulgauit. Sed ad  
rem redeo. In altera Tiberim versus area,  
M. Aurelij Imp. ingens statua chlamydata spe-  
ctatur, basi imposita, atque inscripta. In ædici-  
la opus est marmoreū Dirces raptæ à taurō, cu-  
jus Plinius, Propertius & Plautus meinere.  
Quali nullum iam integrum factum præstan-  
tius opus Romæ reperias: quod Veneri magno  
redimere precio & incredibili tentarant. Iaco-  
bum Boissardum fugit ratio, qui montem esse  
marmoreum putat, in cuius vertice Maratho-  
nium tauro occidit Hercules. Repertum puta  
in Thermis Antonianis. Cetera (sunt enim pœ-  
ne infinita) stupent spectantes; oculis igitur  
quisque lustrabit.

Domus Norciarum palatio Farnesiorum  
obia.

obiacet; vbi inscriptiones variæ & Adonidis statua, baculum tenentis. Quidam Meleagri putant, quod apri caput proximè iaceat; Canis item, qui spirare videtur, ac viuere. Eius premium quinque millibus ducatorum æstimatum: nec ullum Romæ opus magis integrū: nec usq[ue]am gentiū pluris hęc sunt, æmulatione quādam Romanis contendentibus, vt his domos adornaent ornamentis. Est h̄ic & Venus non minoris, quam Adonis, precij: & Diana venatrix succincta, pharetra, arcu, & sagittis ornata. Orcades item duæ, quæ pharetras & arcus gestant: & boni Euentus simulacrum, dextra speculum, lœua scutum ex spicis tenens. Opus est Praxitelis absolutissimum.

Ad Campum Floræ, in domo Latini Iuvenalis della Regola, in hortulo statuæ Traiani Imp. armata, Liuiæ vxoris Augusti, Lucretiæ, Herculis tenentis malum Hesperidum, Somnolentæ mulieris, Herculis cum clava & leonis spolio. Duo consules, totidemque matronæ, aliæque, & plusquam L. capita Impp., ac virorum illustrium.

In domo Iordanis Boccabelli est Geta Imp. Diana triceps, Iupiter, Cybele, Faustina, Maria Otacilla, Pan, Hercules, Cupido, &c.

Apud Lucam de Massinis sunt capita Octavianij Aug. Tiberij, L. Seueri, Tria Neronis, Brutii Consulis, Iuliæ, Sabinae, Marij, Asdrubalis, Fauni ridentis, & plusquam xl. ignororum hominum. Apollo item truncus, & monstrum marinum.

Ad Floræ campum Palantium Card. Capoferrati, qui & S. Georgij dicitur: splendore fortasse & artificio nihil cedens Farnesiano, sed tantum mole minus. H̄ic quatuor Anni tempora, Elementa, corporumque habitudines graphicè depicta. Dij præsides, Mars, Saturnius, & Jupiter.

In

In conclaui Louis furtæ xii. Opus est Michælis Angeli, quem ille Card. egregiè, dum vixit, fouit, impetravitque rara omnia. Sunt & marmoreæ statuæ Louis, Ganymedis Bacchi, Venetorum Cupidinæ, Floræ, Mercurij: Consules, Imperatores, & matronæ. Hic est Actij Nauij Auguris statua, cotem nouacula dissecantis, quæ olim in Comitio seruabantur.

Vrsinorum domus in campo Floræ, structa est in ruinis Theatri Pompeiani, cuius pars adhuc intacta ad domus stabula spectatur.

Templū S. Angeli in Piscaria, in foro Piscario, olim fuit Iunonis Reginæ: quod incendio consumptum, Septimius Seuerus & M. Aurelius Imp. restituerūt: ut titulus antiquus, qui ibi legitur, testatur. Iuxta templum erectæ columnæ duæ, ex porticu Septimi Seueri Mercurio dedicatae. Ad hanc porticum Septimianam Gabriel Vallatus habet ædes plenas Antiquitatis, quas studiosi, si sapiant, ne prætereant.

Ad turrim Arantiorum, vulgo La torre delle citrangole, vocant, habitat Marius Delphines, Gentilis F. & tali patre dignus filius. Nemo enim Romæ plura possidet numismata; & Inscriptiōnibus hortus refertus. Ibidem Canopi statua, ex Simithe lapide, facta in hydriæ speciem, cum litteris Hieroglyphicis. Item Statores antiqui ex orichalco, quorum usum reuocauit, cum iam bilanciis vterentur.

Senense palatium non procul à campo Floræ: quo inspecto perge versus Parionem ad ædes Maximorū, in quibus Pyrrhi colossea statua, galeata, armata, &c. Duobus cā ducatorum millibus Angelus de Maximis olim redemit. Ibidem Iulij Cæsar's caput marmoreum, tabule, signa, marmora, vasa, picturæ ad domus splendorem addita ostenduntur.

Palatium nouum Card. della Valle prope est,  
quod

quod Princeps ille signis adornauit Consalum  
& Impp. Monstratur Hortensius, & Piso, fru-  
gi cognomento. Cethagus item. Inferius in-  
scriptiones multæ Græcæ, atque Latinæ legun-  
tur. In parte superiori Marsyas columnæ alli-  
gatus, opus Leuæidis absolutissimum, è tem-  
plo Concordiæ effossum. In prima corte Saty-  
ri duo gestantes cophinos: In cubiculo Iulius  
Cæsar, Milo Crotoniata, Geta Imp. Item am-  
plius xL capita, Herculis, Sileni, Panis, & alio-  
rum. Et verò capita à truncis aulisa dolen-  
duna est, ut hinc non facile agnoscantur nisi  
titulus adsit. Statuæ hic lapideæ Palladis, Cy-  
biles, Phaethontis, Victoriae, Neptuni, Apolli-  
nis ex lapide Lydio, Herculis Nemeum leo-  
nem suffocantis: Sabinæ vxoris, Hadriani,  
Poppeæ Neronis, Lucillæ Pompeiani, Duarum  
Napæarum, vnius Naiadis, Floræ, & Musæ  
vnius quæ fistulam manu tenet: Iouis caput, &  
v. Sabinæ mulieres: Neptunus, Tabula Me-  
leagri venationem continens: Faunus pelle te-  
ctus. Mercurius pallio in læuum brachium  
inuoluto. Raptus Sabinarum in tabula. Ad si-  
nistram Minerua est togata, Hadrianus Imp.  
paludatus, Hercules cum leonis exuviis. Otho  
Imp. & mulier ignota. Reges quattuor captiui,  
vnum marmoreus, reliqui ex porphyro. Her-  
maphroditus, Iupiter, Bacchus. Hercules,  
Apollo Praxitelis opus. Mars, Galba Imp. M.  
Antoninus Pius, Constantius Magnus, & Con-  
sules aliquot. Sallustij quoque creditur hic esse  
statua itē Memmij. In superiori parte Tabulæ  
ferè Lx. in quibus M. Aurelij Antonini sculpti  
triumphi, quales in Capitolio conspiciuntur:  
In aliis varij sacrificiorum ritus. Item Cory-  
bantes cum tympanis, Naiadum chorii: Meleagri  
altera venatio. Tres colosseæ statuæ, Sabinæ  
Hadriani, Corneliae Crassi, & ignorante feminæ.

In veteri eiusdem Vallcj Card. palatio , sunt antiquissimæ Bacchi statuæ : Ganymedes cum aquila , & fulmine, Apollo, Hercules , Tethys, Venus, Mercurius, Faunus & gladiator. Ad lænum porticus est Orpheus cum barbyto : Bacchus sinu gestans vuas: Atys pastor Idæus sedens & fistulam inflans. Iouis caput, & Venus, quam alij volunt esse Tethyn, vel Galateam: Lupa ex porphyro lactans Romulum & Remum. Hinc Scipio Africanus , & Delphinus puerum vehes: Iuuenis cælum aspiciens, Antoninus Pius. Consulis , fortè Bruti caput, & Faustinæ M Aurelij coniugis. Apud Vallæum Episcopum Horologium cum Zodiaci signis xii. & imaginibus quales in nostris hodie Kalendariis. Inscriptiones item, signa, & statuæ.

Cafarelli proxima domus habet statuas duas, sed quæ manibus careant.

In Albertinorum ædibus, Inscriptiones sunt variæ, & statuæ Deorum.

In Cinciorum proxima domo inter alia Verumnus visitur, cum ligone & venabulo; Statua item Apollinis Pythij integra.

In domo Iulij Cæsarini est Adonis nudus, sed brachiis caret. In hortis vero eius mulier cum vase : quam Cariatidem vocant: & Venus quoque marmorea . Mulieres figuræ : Iani duo bifrontes. PROPERTII hic poëta inter alia caput ostentant, si verum est , & Faustinae iunioris : Augusti iuuenis: Bacchi cum pelli- bus, aliaque ibidem: sed Crus æneum à Michaelangelo valde laudatum ferunt.

Ambrosij Lilij domus Pompeij caput continet, & in tabula xii. Herculis labores affabre Sculptos.

Apud Asianum Celsum Bacchi caput , & pellis in humeris veruecina. Satyri pueri ridetis imago, redimita floribus, spectatu digna, aliaq.

Apud

Apud Cauallerium Faunus vuam altera manu tenens, altera pellem ferinam, vuis plenam & fructibus. Silenus vtrem stringens. Hic & Natura Dea, altari imposita, mammis & animilium figuris ornata. In tabula marmorea Hercules cum Centauro pugnans. In horto, Victoria alata, octo columnarum bases, aliaque.

Apud Hieronymum Alterium non procul à S. Marco, Sacerdos est Cybeles stolatus, manus tenens. Hercules spoliis induitus leonis, truncu innixus, & coluber. Fragmenta item antiquitatis varia. Apud Alterios etiam Scnex calvus in cathedra sedens: quis sit, incertum. Et Hermaphroditus capite & brachiis carens.

Apud Petrum Capoferratum ad hortum ingens Aesculapius cum puella: uterque serpente tener. Sunt hic & alia.

Apud Fabios prope S. Luciam Atlas cælum sustinet, in quo circulos videas. Si integrū opus esset, pretio æstimari non posset. Aesculapius item, & Caracalla Imp. & Bacchus, sed fractus.

In Capitolij ascensi habitant Boccabelli. hic fons elegans ex tophis & cōchiliis, & pisces filis æneis alligati, ut natare videantur.

#### CAPITOLIVM.

Ad sinistram Capitolij monasteriū est Franciscanorum: Ara cæli templum nuncupatur, olim Iouis Feretrij. Gradibus adscenditur xxc. multis ordinibus: in pariete tabulæ figuris insignes conspiciuntur. Pro foribus sepulcrum est Flauij Blondi historici, & Lucæ Gaurici. Templum duobus columnarum ordinibus sustinet, quibus, si Vaticanas excipias, nihil Romæ præstantius. Ad finistram in terra epistylij columna legitur: A CVBICVLO  
AVGVSTVS

AVGVSTORVM. Duæ h̄ic marmoreæ statuæ,  
altera Constantini, Maximiani altera: vel  
vtraque Constantini, & Equi duo ad gradus  
vtrimque.

In area Capitolina M. Aurelij Antonini in-  
gens statua equestris ænea, affabriè facta, alij L.  
Verij, quidam Septimij esse putant. A Late-  
ranensi basilica eo translata est à Paulo III.  
P.M. Farnesio.

Iuxta sunt positæ ad palatium Iustitiæ, Flu-  
minum statuæ colosseæ, Nili, cum Sphynge  
subiecta, & Tigris, cum vicina tigride. Vna-  
que cum Cornucopiaæ fructibus, quos aduehun-  
t fluvij. Non absimiles iis quos in Vaticani  
Pontificiis hortis diximus videri. Spectatur  
& ad radicem templi Fluminis altera colossea  
forma, Rheni Germanorum fl. Alij Louis Pa-  
narij simulacrum putarunt, quod pane proie-  
cto in Gallorum castra obsidione essent libe-  
rati. Hodie Marforius appellatur, qui olim Pa-  
squino respondere calumnianti solebat.

E regione iuxta gradus Columna visitur,  
Milliarium aureum dictum: fuitq; olim in Vr-  
bis umbilico: à quo viæ omnes, quæ in varias  
Italiæ oras tendebant, ducebant initium.

In palatio Conservatorum multa sanc spe-  
ctatu digna, ut orbis compendium videatur.  
Statuæ nimirum, Tabulæ, Inscriptiones, Tum-  
bæ, marmora. Leo item mordicus equum te-  
nens; quod opus ad cælum Michael Angelus  
tulit laudibus. H̄ic ad gradus, monumentum  
longè antiquiss. Columna rostrata, cum sua  
inscriptione prisci illius saeculi, C. Duilij, cui de  
Carthaginensibus bello Punico victori posita  
est, mutilaque est: cuius meminit & Fabius,  
Quintianus & Seruius: explanavitq; doctiss.  
Lipsius in Antiquis lectionibus, & singulari li-  
bello Petrus Ciacconius Toletanus, homo do-  
ctissimus;

Etissimus: qui Romæ in Vaticano Typographio excusus legitur. Hic & Triumphantis M. Aurelii quadrigis tabula spectatur, de Dacia victa. Huius triumphi duæ aliae tabulæ in templo S. Marini sub Capitolio, vnde hæc desumpta. Superius ad portæ ingressum, tabula marmoreæ incisa Mensura est Romani pedis & Græci. Propè C. Marij togata statua. Intus parietes cœnaculorum picturis egregiis rerum gestatum Theodosij & Arcadij Impp. ornantur, habitu antiquo, manu artificis egregij. Hic & Hercules æneus deauratus, dextra clauam, sinistra malum tenens Hesperidum. Is inuentus est in foro boario, in ruinis aræ Maximæ: in cuius basi scriptum est

HERCVLI VICTORI  
POLLENTI POTENTI  
INVICTO  
D. D. L. M.  
FRONTO.

Ibidem Satyrus marmoreus caprinis pedibus, alligatus arboris trunko. Ultra in columna marmorea statua ænea est viri inclinati, & spinam è pedis planta extrahentis: opus admirandi artificij: Altera item laudatissima ænea lupæ lactantis Romulum & Remum: quæ olim in Comitio seruabatur prope sicum Ruminalium: vnde in basilicam Lateranam, post in Capitolium translata.

Mox ingressus peristylum Fastos illos toto terrarum orbe decantatos & viiles cernes Magistratum ac Triumphorum Rom. designatis & marmore Consulibus: quod opus è foro effossum Paulus III. p. m. huc transtulit, commodo publico, ab iis etiam spectandum qui Capitolium per gradus infimos ascendunt, descendiunt. Legitur & carmen elegans Michaelis Siluij Gard. de marmorum illorum, tametsi multa

mutila sint temporis iniuria, utilitate ac fructu. Elogium item lapidi incisum rerum in Belgio praeclarè gestarum Alexandri Farnesij Octauij F. Ducis Parmensis, cuius & statua, ut Romani, ibidem ostenditur, ut & M. Ant. Columnæ, bello nauali Turcico ad Echinadas insulas victoris cum Io. Austriae. Sunt & Pontificum Maximorum optimè de Rep. Rom. meritorum statuæ ingentes sedentu habitu, ac benedicentiū in palatio Capitolino, Leonis x. Gregorij xiiii. & Xysti v. Cetera Lector ipsi oculis iustrabit, inuestigandoque diligenter ad verum, ut sit, euadet.

Quà in Capitolio ad rupem Tarpeiam itur, videturque ut vocant, Piazza Montanare, templum olim fuit Louis Opt. Max. omnium quæ Romæ erant, maximum, à Tarquinio Prisco structum: post ad eius ornatum impensa sunt à Tarquinio Superbo quadraginta librarum argenti millia.

Louis Vejouis templum, ubi hodie palatum Conseruatorum, versus ædes Iustitiae, ubi olim fuit arx Capitolina. Asylum ibidem quidam collocant. Iunonis quoque Monetae templum in crepidine Camillus constituit: & Iani custodis, in ea parte qua hodie Custodia sceleratum est.

#### E Capitolio descensus.

Per cliuum descenditur in forum Romanum, quæ est area per Septimij arcum usque ad templum S. Mariæ nouæ.

L. Septimij Seueri Arcus triumphalis est, ad Capitolij radices marmoreus, integer, nisi quod pars sub terra lateat, Roma tot ruinis iam altior: Vtrumque eadem elegans inscriptio, sculptæque Imperatoris bellicæ terra mariquæ expeditiones. Ad eius sinistrum latu gradus sunt, quibus ascenditur.

Hic

Hic & Concordiæ templum Camillus dederat. Ab hoc ad Iunonis Monetæ centum gradibus concendeatur, sic dictæ à monendo, quod Senones aduentare voce monuissest. Eius reliquæ sunt octo illæ ingentes Columnæ, quæ visuntur: quarum epistylis inscriptum legitur:

SENATVS POPVLVS Q. ROMANVS  
INCENDIO CONSUMPTVM RESTITVT:

Quod ad Capitolium alij referunt, quod sæpius deflagrasse auctor est Corn Tacitus. In eam Concordiæ ædem frequentes conciones, Parumque conuentus siebant.

Ad sinistram Capitolini clivi partem locus est qui dicitur *S. Petri in Carcere*: quod ibi vincitus fuerit, claususque: ideoque illi à Silvestro Pont. dicatus est: ubi & prius Vinculorū Petri festus dies Kal. Augusti agebatur. Sed Eudoxia, condito in Esquiliis templo in honorem S. Petri ad vincula, eò ferias transferri postulauit. Carcerem hunc primus Ancus Marcius struxit, subterranea adiecit Seruius Tullius; unde *Tullianum* ea pars dicta: in qua & de Catilinæ coniuratis sumptum supplicium, ut strangularentur, refert Crispus. Huic loco inscriptum lego:

C. VIBIVS C. F. RVFINVS  
M. COCCEIVS M. F. NERAT. COS.  
EX S. C.

Templum S. Martinæ olim *Marti Ultoris* sacrum fuit conditum ab Augusto Cæs Martique dicatum, post bellum Philippense in Pharsalia. Alij *Secretarium Romani* Senatus faciunt, quo scripta & chartæ adseruabantur: exstatque in eam rei Titulus Theodosij & Honori temporibus inscriptus.

S. Hadriani templum proximum est, olim Saturno sacrum, à Numatio Plantio ædificatum, vel instauratum potius: primum à M. Minutio

nutio & A. Sempronio Coss. dicatum. Hoc  
Ærarium pop. Rom. fuit, in quo pecuniae publi-  
cae seruabantur: ut Scipionis Aemiliani tem-  
pore, x i. millia librarum auri puri, & xcii.  
millia argenti, & infinitus cuforum nummo-  
rum numerus, &c. Hic & tabulæ elephantinæ,  
quibus xxv v. Tribus ciuitatis Ro. contine-  
bantur, custoditæ. Reponebantur & signa mi-  
litaria, acta publica, & Senatus consulta; spolia-  
que deuictarum Provinciarum, populorumq.

Templum B. Mariæ liberatricis ad Capito-  
lij radices, olim putatur Veneris genetricis fuis-  
se. Tres illæ columnæ striatæ fragmenta sunt  
porticus Liuiæ neptis Augusti, in cuius hono-  
rem crexerat, sed paulo post Nero euerterat,  
Domitianus verò instaurauerat. Quidam pu-  
tant esse bases pontis aurei Caligulæ, octogin-  
ta columnis nixi & sumptus incredibilis: per  
quem pontem in Capitolium è Palatio trans-  
iretur.

Columna, ad ædem B. Mariæ liberatricis, est  
vna earum quibus Domitianus aurea statua im-  
posita: & propè iacebat Rheni fluuij statua;  
(nam de Germanis Imp. ille triumphauit:) qui  
hodie Marforius est, in Capitolium tran-  
stalus: cum pila supraposita, quæ obelisci alicu-  
ius fuisse videtur, qualis & in Millario conspi-  
citur. Iuxta erat Concordiæ templum, & ad  
dextram Iulij Cæsaris; ad laeuam basilica Pau-  
li Aemilij, cui impensa sunt nouies centena  
millia ducatorum.

Rostra nova sunt parietes illi sub Palatini ra-  
dicibus; sic dicta à nauium rostris quæ ibi ap-  
pendebantur, & è quibus constructa erant: Ho-  
die claudunt hortos amoenissimos Card. Farne-  
sij. Hic Cicero sæpè dixit, ibidem eius caput  
cum manibus quibus diuina illa Philippica  
scriperat, conto infixa sunt iussu M. Ante-

K

nij

nij III. viri, Rostra vetera ad curiam Hosti-  
liam sita erant, prope Comitium, quod perti-  
nebat ad templum B. Mariæ nouæ: sic dictum,  
quod eò Senatus, P. Q. Rom. de Repub. com-  
modis acturus coiret.

Templum S. Laurentij à Miranda, est in  
ruinis templi Faustinæ, & Antonini coniugis  
sedificatum. Sic enim inscriptum est:

D I V O A N T O N I N O  
E T D I V A E F A U S T I N A E

E X S. C.

Columnę decē porticus alicuius ibi spectan-  
tur. Iuxta erat olim arcus Fabianus, putealq; i  
Libonis, vbi iudicia exercebantur.

Forum Iulij Cæsaris erat à Faustinæ porticu  
vsque ad S. Martinæ templum. Augusti foro  
adiacet templum S. Laurentij de tre-fori: vbi  
duæ porticus erant erectæ, cum statuis claro-  
rum viororum. Ad sacram enim viam in domo  
Luiæ habitabat Augustus.

Templum SS. Cosmæ & Damiani, duobus  
ædificiis rotundum, olim fuit Castoris & Pollu-  
cis. Alij inter templum S. Hadriani & Fausti-  
næ collocant; & illud Romuli & Remi fuisse si-  
ne auctore assertunt.

Templum P A C I S, inchoatum à Claudio,  
à Vespasiano absolutum, est in editiore loco ad  
S. Mariæ nouæ: vbi columna integra striata su-  
perstes visitur, omnium quæ Romæ sunt altissi-  
ma & maxima.

In hortis S. Mariæ nouæ fornices altæ  
rotundæ, duorum olim templorum spectantur,  
Solis & Lunæ, vel, vt alij, Isidis & Serapidis. Ta-  
tius ibidem Vulcano templum condidit; Ael-  
culapius quoque ædem habuit, & Concordia,  
quam Fulvius anno 303. post Capitolium con-  
ditum, fecit: ex quo Pacis illud delubrum Ve-  
spasianus Aug. edificasse creditur, qui & capta  
Hiclo-

Hierosolyma, vicitisque Iudeis, spolia templi  
Salomonis transtulerit.

Nec procul inde ad viam sacram erectus Ar-  
cus marmoreus Titi Vespasiani; in quo victo-  
riæ sculptæ, & triumphi pompa quo ferebantur  
Templi spolia: nempe Arca foederis, candelabrum  
VI I. lucernis: Mensa panum propositio-  
nis. Decalogi tabulæ Moyis, & vas a sacra ex  
auro puro, quibus in sacris Iudei vrebatur. Spe-  
ctatur & currus Triumphalis. Titulus eius est:  
SENATVS POPVLVS Q. ROMANVS  
DIVO TITO DIVI VESPASIANI F.  
VESPASIANO AVGUSTO.

Forum Neruae, quod & Transitorium dictum,  
quod inde in Augusti forum ac Romanum  
transiretur, & eius arcus sunt ad ædem S. Ha-  
driani. Huic nobilem porticum addiderat, eo  
loco qui hodie *l'arca di Noe*, corrupto vocabulo  
*ex Arca Neruae*, vocatur. In epitylio legitur:  
IMP. NERVA CAESAR. AVG. PONT. TRIB.  
POT. II. IMP. II. PRO COS. Huius arcus  
fragmenta videas inter S. Basilij templum, &  
turrim militiae. Ad dextram sunt reliquiae duo-  
rum arcuum, & palatij Neruae sumptuosissimi.  
Nullus enim Romæ locus olim cultior  
fuit.

Via sacra, pertinet à foro Romano per arcum  
Titi Vespasiani Aug. vsque ad amphitheatum,  
vulgo *Colisseum* nominant. Sacra dicta, quod  
Augures ea via ad sacra peragenda in Capito-  
lium procederent.

Ad dexteram propè arcum Titi, Turris est  
quadrata: vulgo vocant *Studio di Virgilio*. Fa-  
bulanturque & casto illo ac Parthenopeo indi-  
gna vate, & Christiano homini non referen-  
da. De cuius sepulcro ad Paesilypum montem  
dicemus, cum de regno Neapolitano differen-  
dum erit, via Putcolos versus. Hic enim alium

K 2      Virgi-

Virgilium Magum singunt, qui montem malis  
artibus peruum fecerit, cuius ibidem sepul-  
crum sit.

Propè Pacis delubrum & SS. Cosmæ & Da-  
miani fuit Curia Hostilia à Tullo Hostilio, in  
veteri Curia Romuli condita. Eò Senatus de  
rebus arduis acturus conueniebat. Incensa  
tota cùm P. Clodij à T. Annio Milone cæsi  
corpus cremaretur, cum basilica Portia illi vici-  
na, quam M. Porcius Cato Censor ad ædes  
Menij considerat. Alia Curia fuit in monte  
Cœlio, ubi templum S. Gregorij.

## PALATINVS MONS

Ante Romanam à Romulo conditam habita-  
tus à Valentia siue Roma, Itali filia: pòst ab  
Euandri. Dehinc Regum ac Imp. sedes au-  
gusta: indicant superbissima ædificiorum fra-  
gmenta. Locus hodie incultus, & nullus Romæ  
magis desertus. Horti dumtaxat hic Card. Far-  
nesij, & vineæ, & vepres. Exiguum S. Nicolai  
templum adhuc exstat, cum aliquot ædificulis.

Olim multa hic fauna. Victoriae à L. Postu-  
mio, ædili curuli conditum: spectabis hortos  
S. Mariæ nouæ ex eius ruinis. Apollinis item,  
quod fulmine iustum restituit Augustus, addita  
porticu: eius reliqua sunt testudo illa ampla ac  
rotunda, quæ exstat, magisq; integrè se attollit.  
Penati quoque fanum, quos ibi Aeneas, ex  
Ilio allatos considerat; colebanturque Romæ  
religiosè. Ibidem & Larium, Fidei, Iouis Vi-  
etoris, Elagabali, Orci, & aliorum Deorum de-  
iubra erant: sed hodie ne vestigium quidem de-  
monstrari potest.

Hic & Patricij habitarunt. Tarquinius Pris-  
cus Rex in ea montis parte quæ spectat tem-  
plum Iouis Statoris. M. Cicero magnificas  
quoque ædes excitarat, emptas à Crasso quin-  
qua-

quaginta millibus ducatorum : Iuxta erat & M. Flacci domus , ex qua Q. Catulus struxit magnificam porticum.

Locus Palatini ad Titi Vesp. arcum olim *Germanus*, à germanis fratribus Romulo, & Remo, appellatus: qui à Faustulo casam incolente non procul à Græcostasi, illic sunt nutriti. Hinc ad arcum alterum Constantini Magni summa *Velia* protendebatur: sic dicta, quod vellerent ibi lanas ab ouibus pastores , priusquam tondendi modus esset repertus; unde auulsa lanæ *Velletra* vocantur.

Versus S. Mariam nouam Seaurus palatum habuit egregium, cum atrio, alitissimis columnis nixo, pedū XL. præter basim & Epistylium.

Græcostasis hic fuit, palatum amplum , quo legati variarum gentium excipiebantur . Hic & Concordię statuam Flauius exerat, qui plebem Senatui reconciliarat.

Templum S. Andreæ in Pallara; in quo olim Palladium asseruabatur, ligneum simulacrum, oculis versatilibus, & ab Aenea cum Penatibus Diis ex Illo allatum in Italiam . Post in templo Vestæ conditum est , virginibusque seruandum traditum.

Vbi Cœlium Palatinus spectat, templum quondam Cybeles, quæ & Dyndimene & Ops dea . Eius simulacrum ex Ida Phrygiæ Romanam à Scipione Nasica allatum religiosè asseruabatur. Versus Auentinum vero natalis domus fuit Augusti Cæsaris . Eius ruinæ altissimæ spectantur versus Circum maximū. Huic Apollinis templum adiunxerat, cuius & ruinas videas: cuius in apice erat Solis currus aureus. Bibliotheca quoque addita ; quæ hinc *Palatina* nominata, in qua & Apollinis , vt Musarū choragi statua ænea posita, pedes L. alta: opus Scopæ egregium.

Balnea Palatina ibidem fuerunt, in quæ pars aquæ Claudiæ per aquæductus deriuabatur, qui hodie videntur in vinea Phedriæ patricij Romani, versus Circum maximum: Vicina his fuit Curia Salorum, & Auguratorum, aliaque.

Palati portæ veteris vestigia ostenduntur è regione S. Laurentij in Miranda.

Ad columnas porticus Liuiæ, templum est rotundum S. Theodosio dicatum: prius à Romulo conditum dicatumque Ioui Statori: quod fugientem Rom. exercitum stitisset bello Sabino. Alij negant hoc esse Iouis Statoris templum, sed potius ingentes illas ruinas è regione templi Concordiæ, quas iam diximus partes esse Curiae veteris.

Relicto Iani quadrifrontis templo, & foro Boario tendens ad Circum maximum, vides locum depresso, aquis manantibus, quibus mulieres linteauant. Putantur esse fontes Nymphae Iuturnæ in Velabro.

Fornicatum opus quod iuxta protenditur, pars est Cloacæ maximæ, quæ à Tarquinio strata est, ut sordium omnium Urbis receptaculum à foro Romano in Tiberim deriuas. Adeo ampla, ut sub eius ohm fornicibus currus onus ageretur. *Chiavica* nunc vocatur:

Lacus Curtius illi adiacebat, in quam se voragine Curtius, pestilentię depellendæ, quia hinc aër exhalabat corruptus, præcipitauit.

Hic locus Numæ Pompilij quo cum Egeria Nympha agens ceremonias didicit, rituque sacrorum. Hic & Gallorum Senonum cineses conditi: qui locus & à dolis *Dololi* vocatur.

### CIRCUS MAXIMVS

Spatium id occupat quod est inter Palatum & Auentinum; longitudine trium stadiorum

sum cum dimidio, latitudine vero trium iugorum. Capax erat CCLX. millium, vel, ut alij restringunt CL. millium. Romulus hic primus Consuales ludos Conso Deo in Sabinarum raptu exhibuit: Tarquinius Priscus Circo locum designauit, Superbus edificauit, in quo Circenses ludi certaminaque; populo exhibebantur: Augustus ornavit, Caius ampliauit, Traianus restituit, auxitque edificiis, Elagabalus Chrysocolla strauit, ut palatium porphyro lapide. Hodie circumscriptio apparet, gradusque quibus spectabant, cellaque. Hodie holitorum horri sunt & viridaria. Neptuni templum adiectum, ubi nunc Anastasiæ delubrum; Ruinæ conchiliis incrustatae marinis, & operetessellato.

Obelisci duo hic erant, alter pedum CXXXII. longitudine, sine basi, quem Xystus v. Pont. in Vaticatum transtulit: alter longus erat pedes XXXVI. Augustus Hierapoli ex Aegypto Romanum transtulit ad Circi ornatum.

Naumachia iam eodem Circo, ubi se nautica re inuentus exercebat. Ostendunt locum ubi crebrae aquarum lacunae, & arundineta.

Supra murum ruinæ aqueductus aquæ Claudiæ: quem riuum Claudio Imp. è fontibus Curtio & Cœruleo (quos cœptos Caligula imperfectos reliquerat) deriuauit à porta Nænia per Cælium montem usque ad Auentinum.

Ad viam Appiam à Circo veniendum. Ad leuam ingens olim moles Septimij Seueri attollebatur; Plinius à columnarum numero Septisolium à septem solariis, vulgo Septizonium nominant. In eam altitudinem exerat Imp. Septimus, vt in Africam nauigantes consiperent, adorarentque cineres ibi in apice collocatos. Septimus enim Afer erat. Nostro saeculo tres ordines cum titulo exstabant, & in Antiquitatum picturis reperias: Sed Xystus v. p. ~~m~~ quod rui-

nam minarentur repugnante populo Rom. funditus ædificiis extruendis euertit . Tituli autem fragmentum erat : TRIB. POT. VI. COS. FORTVNATISSIMVS NOBILISSIMVSQ.

## VIA APPIA

Incipiebat ab arcu triumphali Constantini, per Septizonium Seueri ducebat ad Thermas Antonianas. Inde per portam Capenam ad ruinas Albæ longæ , per Terracinam, Fundos, Campos stellatos, Brundisium usque sepe porrigebat. Appius Cæcus nomen dedit, qui lapide durissimo stravit Capuam usque. Cæsar produxit, instaurauitque Traianus, ampliauit, & perfecit. Eius viæ reliquiæ ad Vrbem , viaque Neapolitana ad Priuernum , & Circæum promontorium apparent.

Via nova, ea pars quæ ab Appia & Thermis ducit ad Capenam portam : sic dicta quod ab Antonino Caracalla , dum Thermas conderet, novo lapide sit strata.

Thermæ Antoninianæ , non procul ab æde S. Sixti , ab Antonino Caracalla structæ in Auentino, è regione Piscinæ. Ingentes hic ruinæ, nullæq; Romæ magis integræ, præter Diocletianas. Columnæ hic ex ophite lapide, & labra marmorea capacissima. Templum Isidis, quod idem Caracalla adiunxerat, ubi nunc cedes SS. Nerei & Archillei, alijs verò S. Sixti templum videtur.

Ad viam Appiam delubra Deorum varia, Quirini, Martis, & aliorum , sed quorum non reperias vestigia, nedum templo.

Porta Capena , à Capena urbe vicina Albæ longæ dicta . & Camœna , à Camœnarum delubro. Triumphalis item quod Scipiones per eam triumphum duxerint, & nuper Carolus v. sub Paulo III. Afris deuictis. Hodie S. Sebastianus , à

ni, à templo duobus passuum millibus ad Cali-  
xti cœmeterium dissito.

Vt templorum h̄ic obscura vestigia sunt, sic  
& Sepulcrorum : quæ multa in Appia via, teste  
M. Tullio in Miloniana. Moles alta quadrata-  
que, quæ ad sinistram attollitur Cethegorum pu-  
tatur, ex Titulis ibi repertis, & Epitaphiis : ro-  
tunda vero forma, Memmij fuisse monumen-  
tum creditur, in utroque tamen Cethegorum  
legitur nomen.

Almonis riuus non longè ab Urbe occurrit,  
qui Romam influens sub Auentino Tiberi se  
insinuat.

Sepulcrum Scipionū fuisse altum illud ædi-  
ficium & rotundum, ad dexteram, ex Inscri-  
ptionibus ibi repertis colligitur.

Sinistra digressis ab Appia, sacellum est ro-  
tundum, quod vocatur, Domine quo vadis? Histo-  
riam supra, cùm de Ecclesiis agerem, retuli.

Ædificium huic proximum Lucullis attri-  
buitur. In eo, sicut & in aliis plurimiis, sub for-  
nicibus integris cellulæ, quibus ordine vrnæ ci-  
neribus mortuorum plenæ collocabantur. Ad  
sinistram ulterius parietes ex coctili lapide  
pars sunt templi Fauni & Siluani.

Ad dexteram ædis S. Sebastiani templū visi-  
tur, integrum illud quidem, sed ornamenti spoli-  
atum, quo greges noctu, aut dum se ęstus fran-  
gat, agunt opiliones. Apollini sacrum olim fui-  
se putatur.

Quadraginta inde passibus, obscuro inter-  
dumeta loco, cauerna est subterranea, cuius adi-  
tus propter arbusta, lapidumque aceruos vix  
cernitur. Ingressus videbis fornices artificiose  
constructas, quæ utrimq; habent repositoria x.  
aut xii. pedum, quibus olim mortuorū Chri-  
stianorum corpora condebantur, idque clām,  
durāte persecutionis furore. Lampadum etiam

K 5 loca

loca reperias . Hic Christianos vigente sub  
Impp. Rom. persecutione crudelissima deituis-  
se fecerant, vocanturq. hodie Stantie di Christiani.

In templo S. Sebastiani descendit per gradus  
in speluncas, quæ Catacumbas nominant, vbi  
quoque Christiani latebant Tyrannorum me-  
tu. Narrant Martyrij palmam **XL**. Pontifices  
primos illic accepisse. Adhac, ut inscriptio loci  
testatur, **C L X X I V**. millia Martiyum mortem  
pro fide Christiana fortiter oppessisse. Locus  
sanè religiosè cultus, tenebris item squaloreque  
horrendus: quem sine facibus, ac ductore loci  
bene perito, ingredi minimè tutum sit, adeò  
anfractibus, mæandris, cuniculis ac meatibus  
plenus est, ut Labyrinthum intrare videatis. Ho-  
die Cœmeterium seu sepulcrum *Calixti* nomi-  
nant. De mirandis ac sacris reliquiis ostendun-  
tur ad altare sacelli læui lapidi impressa vestigia  
**CHRISTI** Domini in cælum spectantibus di-  
scipulis, ascendentis: Cetera scriptores da-  
bunt, Onuphrius, Serranus, atque Hugonius.

Huic templo adiacet delubū amplum & ro-  
tundum, ingētibus marmoreis c. columnis su-  
stentatū: quod Sulla in cædilitate Marti Gradivo  
consecravit, audiebanturque ibi hostium legati,  
quos in Vrbem nolle admittere, speculandi  
gratia: Eius pars maxima precibus S. Stepha-  
ni Pent. cùm Marti ibi sacrificare iussus à Ga-  
lienō Imp. esset, fertur corruisse.

Iuxta olim *Manalis lapis* seruabatur, quem so-  
lemni pompa Romani in Vrbem, quo plu-  
viam elicéret, importabant.

Supra in eadem Appia via quadrati opidi-  
mœnia integra conspicias, quod Sinuissam  
nonnulli, alij Pometiam fuisse tradunt. Rectius  
verò sentiunt, qui Prætorianorum militum, &  
Augustorum Medicorum stationem, sedem-  
que fuisse putant. Intus area vacua est,

Se.

Sepulcrorum moles utrinque videas cum quadratas, tum pyramides obtusas ac solidas, partim latericio lapide, partim Tiburtino struttas. Metellorum fuisse indicant Inscriptiones: unaque vasta, turris instar, amplissimæ Ceciliæ Metellæ. Testatur marmorea hoc tabula versus aream Prætorianam: CAECILIAE Q. CRETICIP. METELLAE CRASSI: Moles est rotunda ex quadratis marmoribus candidis, intus concava, & superiore parte aperata celum admittit. Muri crassi pedes ferè XXIV. In circuitu infra boum capita, carne nudata, ut in sacrificiis solet: in lemniscis & fasciarum involucris, quæ folia ac flores iungant. Itali Festones hodie vocant: putantque Antiquarij geminam hecatomben Metello factam in funere fuisse: Nam & ad collis radices vocis imago, Græci Echo nominant, exauditur, ut nusquam gentium maior. Octies enim (expertus loquor) integrum poëtæ versum articulatè refert, confusè item sæpius. ut plorantium eiulatus, planctusque funebres nimium quātum multiplicarentur, dum duplex Hecatombe, ludiique funebres matronæ agerentur: nisi si natura, aut ut fit, casu id accidisse verius existimes. Aliorum esto iudicium.

Loco propè depresso ingentes sunt Cirri Hippodromi ruinæ, ut nusquam alibi integriores. A Basiano Caracalla extractus putatur, quo loco Tiberius Aug. Prætorianorum militum stabula erexerat. In hoc Circo milites se quotidie cursu, equitatione, ac quadrigis exercebant. In media area veltigia carcerum, basium, statuarum, altarium, ac metarum. Picturæ circum crebræ apparent. In medio vastus quoque iacet Obeliscus ex ophite lapide, sed tres in partes vastas contractus, notisque Hieroglyphicis sacris Aegyptiorum vndeque animaliumque figuris exornatus.

natus: valde ut mirer à Xisto v. p. m. homine  
celsti ac verè heroici spiritus, non esse in Vrbem,  
ornandi gratia, traductum , aut saltem, si sum-  
ptus ingens in tanto loci interuallo fuisset, ibi  
erectum basique impositum : nisi mors præ-  
matura hominis consilium, ut fit plerumque, in  
cursu abrupit.

Super Circo templum integrum qua aratum  
apparet, cum columnis & porticu anteriore. Id  
olim Deo Ridiculo consecratum putant, quod  
Hannibal à Cannensi strage , qua ciuium Ro.  
xl. millia ad internectionem cæsa sunt, copiis  
victribus Vrbem occupare conatus, castra ibi  
locasset : editoque ingenti risu ac cachinno,  
prodigijs loco, fugisset, soluissetque obsidionem,  
& in Campaniam cum exercitu diuertisset, ubi  
eneruatus miles deliciis elanguit. Poterat alio-  
qui Vrbe iam consternata fortasse potiri. Sed  
quod ille apud Liuum Afer ait : Vincere scis  
Annibal, victoria vti nescis. Quare Deo Ri-  
diculo fanum Romani metu liberati condi-  
derunt.

Hinc tribus ferè milliaribus digressus Ro-  
mam reuertere . Ad mœnia cum ventum erit,  
transi ad portam Latinam, sic dictam à vicina xde  
S. Ioanni Apostolo sacra, qui ibi oleo & igne cru-  
ciatus dicitur, sub Domitiano: diesque festus in  
Martyrum fastos Maio mense relatus religiose  
colitur.

Sequitur Gabiena porta à Gabiorum vrbe,  
quò dicit, sic dicta , vbi via cum Prænestina  
coniungitur, sicut Latina cum Appia interdum  
concurrit.

### COELIVS Collis.

A porta Gabina , relictis ad dextram mœni-  
bus, in Cælium montem ascendes, qui ad mœnia  
longè extenditur usque ad portum maiorem.  
Etus

Dictus & Querquetulanus, à quercuum ibi copia, priusquam ab Hetruscis habitaretur, qui duce Cocco Vibenna auxilium Romanis tulerunt, collisque hic propterea illis concessus, & postea Tuscus vicus. Ruinæ multæ, cetera obscura omnia, atque collapsa.

In Cœliolo, qui appendix est Cœlij, templum est S. Ioannis Euangelistæ, olim Diana sacrum.

In Cœlij summitate ædes S. Stephani rotunda à Simplicio p. m. ex Fauni delubro dedicata. Temporis iniuria senio dirutam instaurauit Nicolaus v. p. m. ea qua cernitur forma nisi quod sub Gregorio xiiii. additæ victoriarum Martyrij picturæ elegantes amplius xxx.

Ad templum SS. Ioannis & Pauli, versus Septizonium Seueri, curia fuit Hostilia, à Tullio Hostilio erecta, diuersa ab ea quam suprà ad templum Pacis in foro Romano collocauiinus. Huc Senatus P. Q. R. de publicis negotiis conueniebat.

Templum S. Mariæ in Dominica, Auentinum versus situm, & à Leone x. restauratum. Ibi olim Albanorum mansiones fuerunt: vicinusque est aquæ Claudiæ ductus: in cuius arcu hæc legas:

P. CORN. R. F. DOLABELLA, COS.  
C. IVNIVS C. F. SILANVS FLAMEN  
MARTIAL. EX S. C. FACIVNDVM  
CVRAVERVNT. IDEM QVE PROB  
AVERVNT: Ad aquæductum erectum castellum, ad receptacula aquarum.

Templum Quatuor Coronatorū, ab Honori Papa conditum, restauratumque pæne collapsum à Paschali ii. versus esquiliis, olim fuerunt castra peregrina: quibus accipiebantur sub Augusto nauales copiæ quas ad Misenum habebat.

Inter

Inter portam Gabinam & Cælimontanam palatijs Constantini Magni ingentes ruinæ: nunc S. Ioannis dicitur: splendore Imperatoris ostendens magnificientiam.

S. Ioannes in Laterana, nomen retinet Basilica, quam rogatu Siluestri Pont exstruxit Constantinus Magnus. ( alter autem Lateranorum fuit M. Antenij avus: ) Sedes olim Pontificia sedis fuit, sed post ducti amoenitate collium Vaticanorum, eò se receperunt Pontifices, habitantque augustum palatium ad S. Petri ædem.

Ad templum locus, qui *Basilicæ Constantini* vulgo dicitur, orbiculato edificio octo columnis porphyreticis nititur, duabusque ad portam positis: De puerorum cæsorum sanguine, quo lepra medicorum consilio curaretur, fabula quibusdam videtur: nam ab Episcopo Nicomedensi baptizarum referut historiæ Ecclesiasticæ, cum in Asiam venisset. Iac. Boissardus balneum Laterani palatijs fuisse potius putat, quod eò usque protenderet: & forma persuaderet.

Ad dextram sacella sunt; parietesque marmore incrustati, & columnæ Hierosolymis alatae Romam. Ad sinistram columnæ marmoris flavi, quæ manu aut vestibus tritæ gratum spirant odorem violarum cum lilio. Qui ab Aegypti regina Salomoni donatas fuisse fabulantur, sine auctore nugas agunt.

S. Ioannis templum augustum ingresso occurunt sepulcra Pontificum Max. sumptuosa, aręq; marmoreæ, affabré factæ, ut nihil usquam videoas absolutius. Altaris summi lateri sinistro apposita Tabula ænea, characteribus antiquis, continens leges & Senatus consulta sub Vespasiano Aug. quæ olim in Capitolio cum aliis multis asserabantur. Ad sacrarij fores, iuxta hanc Tabulā humi sepulcrum est Laurentij Vallæ Romani, & huius templi Canonici.

Anno:

Ante chorūm columnāe æneæ IIII. striae,  
Corinthiacis epistylis opere concavō. Narrant  
vulgō terra sancta plena è CHRISTI sepulcro  
Hierosolymis Rōmam aduectas. Varij varia  
de his prodiderunt. Quidam volunt Athenis  
è templo Iouis Rōmam à Sulla translatas. Alij  
è rostris nauium in Actiaca pugna captarum  
ab Augusto Cæsare conflatas, & ad rei memo-  
riam templo Iouis Capitolini applicatas. Alij  
Hierosolymis aduectas in Italiam ab Imp. Ve-  
spasiano, devictis Iudæis, cum reliquis ipsis,  
quæ in triumpho Titi propositas sunt.

Antequā Xystus v. nostra memoria nouum  
Lateranense palatium à fundamento extruxit,  
Cœnaculum hīc erat Rotæ amplissimum, in  
quo Pontifices ac Cardinales, & Archiepiscopi  
sedebant, cūm de rebus magnis esset agen-  
dum, tresque portæ altissimæ marmoreæ ex  
Hierosolymitano Prætorio erant aduectæ.  
Conclia hīc Lateranensia habita totius cleri  
concessu.

Scalæ sanctæ, quas in Pilati domo CHRISTVS  
IESVS virgis cœsus cōscendit, aliò sunt ab eodem  
Pontifice translatae: quæ Religionis gratia, re-  
pendo, & osculando à piis quotidie frequen-  
tantur. Iuxta erant cathedræ duæ ex porphyro  
pertusæ: de quibus mendacia, anileisque fabulas  
nugantur Ecclesiæ Catholicæ, sedisque Ponti-  
ficiæ hostes acerrimi. Sed iam mendacium di-  
sertè refutatū ab Onuphrio Panuino, & Rob.  
Bellarmino Card. amplissimo, Controversiarum  
Tomo i. de Pontif. Rom. Vt & de Ioanna  
Papissa confitæ nugæ, iactatæque, quas  
iudei refellunt, & nuper Gallicè singulari libro  
Florimundus Remundus.

Colūna candidi marmoris iuxta posita in pa-  
riete, fracta in partes duas. Creditur in Christi  
morte cū tēpli velo terraq; ac petris scissa fuisse.

Sancta

Sancta Sanctorum , sacellum est summa veneratione cultum, quod mulieribus ingredi nefas: in quo Arca foederis seruatur, virga Aaronis, mensa cœnæ Dominicæ, Manna sacrum, umbilicus & præputium CHRISTI: Sanguinis eius phiala vna, spinæ aliquot ex eius corona, clavis unus integer, quo CHRISTVS cruci affixus. Frenum equi Constantini Magni è clavis duabus pedum confectum , vt ex quarto lamina confecta, & Imperatoris aureo diademati apposita. Quatuor enim clavis Salvatorem Crucis affixum fuisse, picturæ Græcorū antiquæ cum tabella sub pedibus, docent , & Gregorius Turonensis Episc. asserit. Aliæ item hic reliquæ.

Sacellum hodie S. Petro sacrum, via Lautiana , quæ est Cœlium inter & Esquilias , olim Quieti deæ sacrum dicatum erat delubrum.

Non procul à templo S. Ioannis Porta est eiusdem nominis . Olim Cœlimontana dicta, quod ad Cœlij radices sita sit: Item Asinaria. Ab ea principium sumit via Campana, quæ dicit eō, vocaturque à fertilitate vulgo, Terra di labore: ac paulo extra Vrbē Latinę viæ coniungitur.

In ultima Cœlij montis parte templum est S. CRVCIS in Hierusalem, vnum è septem Ecclesiis quæ maximè frequentantur . Olim sacrum fuisse putatur Veneri & Cupidini. Hic pars Crucis Dominicæ asseruatur, Titulus quoque linguis tribus scriptus . Denarius unus ex xxx. quibus Christum Iudas vendidit; spina coronæ eiusdem: aliaque miranda. Sacellum hic subterraneum , ab Helena Constantini matre conditum , in quod semel tantum quotannis 20. Martij mulieribus ingressus patet. Templi monasterio adjunctum est Amphitheatrum, minus illud quidem Coliseo , ut vocant, sed antiquius . Augusto enim imperante à Statilio TAURO conditum . Alij vocant castrense illud

am-

amphitheatrū à Publio Victore in Esquilina re-  
gione positū, in quo milites exercentur. Nunc  
ferè dirutū à Paulo 111. p. m. instaurādo mona-  
sterio: quod restat, intra extraq; mēnia spectatur

Sesoriana basilica ad templum S. Crucis erat,  
pertinebatque ad Næuiam portam. Ruinarum  
pars adhuc notatur ad mœnia.

Arcus qui per Næuiam portam in Vrbem  
tendunt, & per dorsum Cœlij mōtis, ad Latera-  
nense templum vsque ad Auentinum pertinent,  
sunt aquæductus aquæ Claudiæ: qui omnium  
quas Romæ videmus, altissimus iudicatur, ac  
longissimus: quemq; per xl. millaria in Vrbem  
Claudius induxit: cui postea Anio nouus adiun-  
ctus est per viam Sublacum versus, summisque  
impensis per Næuiam portam deductus. Eius  
pars maior in Auentinum deriuabatur, pars in  
Palatium, & reliquum in Capitolium: Cœptus  
quidem à C. Caligula, sed à Claudio perfectus.

Porta Nænia, eadem & Maior dicitur &  
S. Crucis, in arcu Triumphali structa creditur;  
quod & operis amplitudo satis ostendit.

Xenodochium S. Ioannis visitur prope du-  
ctum aquæ Claudiæ versus Cœlium: sanè opu-  
lentissimum, ægris curandis accommodum. Est  
enim & Pharmacorum, ac Medicorum copia: vt  
etiam diuites morbis laborantes curari fese ibi-  
dem ære suo iubeant. In eius area sepulcrorum  
arcæ, & aræ videntur marmoreæ, labra balneo-  
rum, & Thermarum: Marmoribus figuræ in-  
cise, Satyrorum chori, Accubitus iacentium  
ritu; Amazonum pugnæ; Meleagri venatio,  
aliaque id genus monumenta.

Templum S. Clementis viam habet per aquæ  
ductum: quod diuersis marmoribus incrusta-  
tum, Inscriptiones habet antiquas, figuræque  
sacerdū instrumentorū, quibus Pōtifices, Augu-  
res, ac Sacerdotes, olim usi sunt in sacrificiis.

Am-

Amphitheatri moles stupenda in reditu se-  
se officeret, ex ingentibus Tiburtinis lapidibus  
structa, inter Cœlum montem & Esquilias.  
**Coliseum** vulgo nominat à colossea statua, quam  
Nero illic erexit altam cxx pedes.

Domus Neronis id totum loci spatiū occu-  
pabat, quod est inter Palatinum, & Cœlum, &  
porrigebatur usq; ad Esquilias (vbi erant & hor-  
ti C. Mæcenatis:) ut Vrbis potius quam domus  
formam referret. Continebat enim agros, lacus,  
silvas, & porticum integrō milliari longam tri-  
bus columnarum ordinibus. Reliqua ædificia  
deaurata erant & gemmata. In ea delubrum  
Fortunæ Seiæ, in quo Deæ simulacrum ex mar-  
more Phengite, seu diaphano. Porta huius do-  
mus principalis erat, vbi postea Amphithe-  
trum positum antequā colossus Principis eri-  
geretur.

Huius Amphitheatri ea amplitudo atque al-  
titudo, id artificium, nihil ut Romæ in eo sit  
genere admirabilius. Cœptum est à Vespasia-  
no, absolutum vero à Tito Filio. Spatio xi. an-  
norum xx x. millia scruorum tantum opus per-  
fecerunt. Capax fuit LXXXVI. millium ho-  
minum, qui in gradibus commodè ac subselliis  
sedebant, ludosque, qui in media cauea exhibe-  
bantur, spectabant.

Constantini Magni arcus Triumphalis ad  
finistram versus Cœlum est, & Septizonium  
Seueri, ad Palatini radices. Integrum adhuc ex-  
stat cum suis victoriis, statuis, & Votis decenna-  
libus, ac Vicennialibus, litteris inscriptis. Con-  
stantino autem à Romanis positus, post deui-  
tū Maxentium ad pontem Milium, qui ty-  
rannide barbara Vrbem oppresserat.

Ad Coliseum, equos hodie agasones exercet,  
virgētque calcaribus, & in gyrum currere affue-  
scunt. Iuxta ædificum est altum & testudinea-  
tum.

tum, & in speciem pyramidis rotundum. Meta erat sudans, sic dicta, quod aquae inde manarent, quas potarent in Amphitheatro spectantes.

Ab Amphitheatro via sacra per forum Romanum, Capitolioque ad laevam relictum, a templo S. Martinæ ad Palatum Masseriorum diverte: in quo capita Illustrium virorum cum pectoribus in suis basibus, & alia L. V. absque pectoribus, urna marmorea: vasa, pateræ, lucernæ, crateres, aliaque spectacula digna: Laocoontis caput artificiosissimum. Ibidem tabula marmorea, in qua Circus expressus, cum suis metis, obeliscis, doliolis, & aris. Altera item est discubentium in triclinio cum Synthesi, ut nusquam alibi maiore vel forma cernatur, vel artificio. In hortulis quoque statuae muliebres. Pan quoque in pila gradini sculptus cum Syringe, & Cupidine. Plurima in hoc Palatio videntur Antiquitatis monumenta, Epitaphia, Inscriptiones, & id genus aliæ priscæ Vetustatis reliquæ, quæ & artificum oculos pascunt, & eruditorum hominum animos excitant. Iam domum te recipias licet.

## ITINERIS ROMANI DIES TERTIVS.

**A**B Aelio ponte, & S. Angeli castello, Tiberi. na platea, ad Ursi dinisorium in biuio, destra ingressus ad turrim sanguineam, domum offendes Baldi Ferratini. In fronte est Galba Imp. paludatus; ibi & pilæ duæ, & tabula variis figuris insignis.

Apud Io. Bapt. Galletum statuae muliebres plurimæ: & in tabula Aesculapius, dextra serpentem tenens, & femina quoque serpentem comprimens, cum hac επιγραφῃ.

N V M I -

NUMINIBVS C. PVPIVS C. F. A. N.

FIRMINVS SANCTISS. D.D.

Ibidem & pila diuersis insculpta figuris, ut Her-  
culis geminos tauros cornibus apprehendentis.  
Hinc domus est ad Agonem Card. Pacieci Hi-  
spani. Adiacet templum S. Apollinaris vetustissi-  
mum, olim enim Apollini sacrum. à tergo est  
S. Augustini Sedaliumque Eremitarum tem-  
plum, in quo B. Monicæ eius matris reliquæ  
frequentantur.

Apud Archintum visitur ænea statua servilis,  
qualis in Capitolio, quā Zingaram vocant. Su-  
prā, capita sunt, ut Iouis Capitolini, aliorumq.

Forum illud amplissimum, quod Parmensis  
Ducissæ palatio obiacet, in Agone dicitur vulgo  
corrupta voce, *piazza nauona*, Circus olim fuit  
agonalis, in quo ludi & certamina à Numa in  
Iani honorem instituta celebrabantur. Nero  
Circum auxit, post Alexander Mammeæ F. qui  
palatium iuxta exstruxit, & Thermas Alexan-  
drinas celeberrimas. Nero quoque circa Ther-  
mas habuisse putatur, ubi templum B. Mariæ  
rotundæ, post templum S. Eustathij. Hadrianus  
quoque suas Thermas ad S. Aloysij. Sed, vt fit,  
in locis frequenter habitatis, vestigia tecta ob-  
soleuerunt.

In Agone apud Marium Melinum Pallæ  
armata & galeata visitur, muliebres alię statuę,  
& gladiator nudus, & Hercules Sabinę mulieris  
caput. Cupido item Alcibiadis pueri figura.  
Siluani & Bacchi sedentes. Capita Iouis, Drusi,  
& decem ignota. Satyrus quoque integer sin-  
gulari factus artificio. Apud Io. Bapt. Melinum  
tria capita egregia.

Apud Episc. Saulum in fronte statua est mu-  
liebris, & intus caput M. Ciceronis, M. Tullij F.

Ad S. Aloysij apud Alexand. Rufinum Julius  
Cæsar est quasi colosseus, armatus: ocreis, seu  
cali-

caligis, aut sandaliis. Augustus quoque Cæsar. His statuis nihil Romæ spectatur rarioris artificij. Caput item aliud Iulij, & quattuor viorum, mulherumque.

In Parmensis Ducissè (vt loquuntur) hortulo Bacchus duplex visitur egregij operis. & supra in Tabula tres Curiacij, & mulier genibus nixa.

Apud Franc. Ragaterium, Antiquitatis studiosissimum, ad templum Pacis, Capita varia, Bacchi, Alexandri magni duplex, Iouis, Naturæ, Satyri, seu Panis. Imperatorum vero Traiani, Hadriani, M. Aurelij pueri, & Getæ: & xx. ignotorum hominum: & xl. à corporibus auulsa capita, & Iouis ex porphyro. In eiusdem vinea ad portam Flaminiam Inscriptiones variæ, Rex Numida capti uis, ex porphyro lapide, egregie elaboratus, & thorax æneus Imp. alicuius.

Apud Alex. Cherubinum inscriptiones, & Siluani rideantis caput marmoreum.

Ruinæ apparent inter ædes S. Eustathij & Mineruæ, longæ & quadratae. Putant fuisse templi BONI EVENTVS, quem prisca coluit supersticio, felicis exitus spe. Eius olim statua plebeio habitu, læto vultu, dextra craterem, læua tenens sertum ex spicis.

Fornices illæ rotundæ, & altæ, qui locus Ciambella dictus, Thermarum M. Agrippæ fuisse existimatur: ad quas & Nero Imp. Theras exstruxit, quarum ruinæ à tergo sunt S. Eustathij.

PANTHEON M. Agrippa iuxta Thermas suas construxit, in omnium Deorum honorem, rotundū, ne qua de loci præstitia lis inter Deos, seu Demones potius oriretur. Alij Opis seu Cybeles fanum fuisse, vt turrigeræ Deorum matris, & Terræ dominæ, tradunt. Critici certant.

Rectius

Rectius à SS. Pontificibus B. Virgini, Diuisque omnibus est consecratum. Sphaericum est ædificium, quo nihil Romæ spectatur antiquius, integrus, atque splendidius. Lucem, quod fenestræ careat, in summa fornice foramine admittit. Altitudo latitudinem æquat, & rotundum est: in medio cratæ æneæ tectus puteus, excipiendis aquis pluviis. Porticum habet elegantissimam, ingentibus columnis xiiii. ex ophite lapide nixam, epistyliis Syracusanis. Laquearia, quæ tectum sustinent, ænea sunt, auro perfusa cum valuis & porta: Laminis olim argenteis coopertum erat, sed Constantinus Heraclij nepos eas cum reliquis ornamentis Vrbis abstulit. Subiectæ sunt plumbeæ a Martino VII. p.m. Gradibus olim vii. qui templum ambiebant ascendebatur, nunc xi. descenditur: ut hinc Vrbem ruinis altiorcm, editioremque factam credas. Inscriptum est cubitalibus litteris: M. A G R I P P A L. F. C O S. III. F E C I T. Et infrâ litteris minoribus: CAES. L. S E P T I M I V S S E V E R V S P I V S P E R T I N A X, &c. quæ, commodo quod fiat tuo, discribes. Seuerum & M. Antoninum, vetustate corruptum Pantheum cum omni cultu restituisse ostendit. Conditus hoc templo Raphael Sanctius Vrbinas, pectorum Princeps. Ad porticum duo leones Aegyptij ex lapide Marmoridum subnigro ac durissimo: in basibus notæ sunt Hieroglyphicæ. In medio vas amplum ex porphyro, opera & lapidis magnitudine admirandum: cui non assimile, paulò tamen minus, est in templo S. Mariæ majoris sub imagine Crucifixi, in Esquilis.

Templum B. M A R I A E supra Mineruam proximum est, sic dictum, quod olim Mineruæ sacrum: Habent hodie Dominicani sodales. In horto ruinæ apparent Victoriarum, quarum ibi

ibi titulos Pompeius statuisse creditur. In altibus & aquę lustralis repositoriis inscriptiones quædam. Conditus h̄ic Petrus Bembus Card. ad aram summam, & Paulus Manutius, homines s̄eculi sui disertissimi.

In domo Metelli Porcarij, ante ostium statua sedentis marmorea, & in angulo Terminus ingens, cum hac Inscriptione. C. LIVVS  
C. F. IVSTVS, &c. Tabulæ quoque marmoreæ titulus est, VENVLIA, &c. quæ, si vacat, transcribe. H̄ic v̄rsus marmoreus ouem devorans, & Sacrificium marmori insculptum, & Diana summo artificio in tabula: Candela brum quoque antiquum triangulare. Corpora trunca, Herculis, Hermaphroditi, Apollinis, Bacchi, Fauni. In pilis duabus, venatio Meleagri, & Cacus cauda attrahens boves Herculis: in tertia labores Herculis. Capita quoque plurima in conclavi,

M. Agrippæ	Augusti	}
M. Catonis	Tiberij	
M. Antonij	Illustriū	Impe-
M. Bruti	Vespasiani	
Romuli	Neruæ	rato-
Cleopatrae	M. Aurelij	
	Othonis	rum.
	Hadriani	

Lucillæ item & Antoniæ Augustarum. Plurima itē alia, Capita, tabulæ quoque marmoreæ.

Apud Iulium quoque Porcarium tabulæ plurimæ, vt Meleagri venatio. In pariete Tabulæ v. variis figuris ornatae: ad dextrā pugnantium imago: hinc taurus Europam vehens.

Post, arcus est antiquus & rudis, qui Camillus hodie dicitur: & Camillo esse positus creditur: Est tamen, vt Boissardus h̄ic tradit, sub Imperatoribus excitatus. Nuper dirutus permittente Pont. Clemēte 11 x. à Card. Saluiato, cuius obiacet palatium, & his crevit lapidibus.

In do-

In domo Nic. Stagni ad arcum Camillanum, Hercules est, leonina pelle & capræ rectus: nihil pedibus careret, nihil esset eo præstantius. altera statua siue Iouis, siue Neptuni. Summi utraq; artificij, repertaque in Esquiliis ad Thermas Titi, qui locus vulgo, *Le sette Sale* nominatur, in vinea Stagnorum. Alia ibidem Antiquitatis studera.

Apud Leonardum & Iulium Sabinum sculptores, icones marmoreæ, sed quia veditæ facilè migrant, nescio, an facilè reperias. Apud illum erant Hadrianus Imp. & Lucretia. Hercules & nudus, & exuuiis indutus leonis. Cæsar & Octauij caput, ac Pyrrhi regis galeatum. Faustinæ item & Galeriae Augustarum. Apud hunc verò Ianus bifrons, Pallas: Liuia vxor Augusti, & Iulia filia. Augusti, Galbae, Septimij Seueri, Commodi, & Gordiani capita: & Faustinæ duæ. Bacchus item elegans, & Europæ statua.

In domo Pauli de Castro Socratis caput visitatur, Galeria Faustinæ, Veneris, Palladis, & Opis, aliorumque.

Apud Iacomellum ad S. Magutum, Atis est pastor Idæus, truncu arboris innixus, tibiamque inflans. Faunus ore exerto ridens, hydram baculo percutiens mordicus vuam tenentem. Medusa item galeata, Faustina senior, & Liuia Drusilla, vxor Augusti, mater Tiberij Aug. quem ex Tiberio Nerone primo marito suscepserat. Capita ibidem Iani bicipitis, Cornelii uxoris Pompeij, Iuliæ Iulij Cæs. F. & uxoris Pompeij. C. Cæsar, qui M. Agrippæ & Iuliæ filius fuit.

Apud Dominicum de Nigris est Copiæ cornu statua: Nais nymphæ dormiens, quæ sinistra in vrnam recubat. Hanc ex aquæductu Aquæ Virginis esse putant. Nar fluvius seminudus illi adiacet, sinistra tenens cornu Copiæ. Bacchus hic pampinis vincitus, Hercules cù clava, Capi-

Capita item illustrium virorum, ut Neronis,  
Othonis, & Hadriani.

Iuxta arcum Camillanum olim iacuit pes  
Colosseus ingens: qui totius molem corporis  
facile indicat. Translatus, opinor, est in Capi-  
tolium: ibi humi iacere videoas.

Apud Augustinum Reginensem, & Papy-  
rium Papazuccam, Imagines Deorum, Impe-  
ratorum, & illustrium capita virorum plurima  
ostenduntur, quæ cum voluptate spectabis.

Franc. de Aspra habet domi, quæ est ad S. Ma-  
gnum, statuam Copiæ, & Pomona, vestita-  
rum: Bacchi simulacrum, & Aristidæ Athe-  
niensis.

Thomas sculptor duo habet capita Faustine,  
duo Palladis galeatae, & Siluani.

Palatum S. Marci per viam latam accedes.  
Hic statim labrum ingēs apparet marmoreum,  
quale ad S. Salvatoris in lauro: quod in Ther-  
mis Agrippæ inuentum est. Ad templi por-  
tam Faunæ, vel, ut alij, Bonæ deæ statua. Palati-  
num ascendi multæ occurunt imagines, si-  
gnaque marmorea. Tabulæ item cum sacri-  
ficantium ritu: In circo Cleopatra est, & inu-  
lires circum plangentes, aliaque miranda.

Apud Curtium Frangipanum Mercurius est  
petasatus, Cupido alatus, & aries Phrygius.  
Capita deorum dearumque, ut Iani, Iouis,  
Bacchi: illustrium, Marij Cos Augusti Cæsaris,  
Hadriani, Antinoi, Lucilie, Caracallæ, aliorum-  
que laruæ.

Apud Laur. Mancitum, Tabula magni precij,  
eui Cupidines insculpti. Leonis caput colos-  
seum, rictu animal continens.

Hinc Neruæ forum est post S. Hadriani  
ædem. In eius medio olim columna ingens  
ænea, totumq; forum statuis plenum, quæ nuac  
aliò translatæ: Dictum & Transitorium, quæd

inde in forum Augusti atque Romanum transitus esset utrumque : unde & hodie templum S. Hadriani in t<sub>e</sub>re fori nuncupatur. Hic & eiusdem Imp. palatum fuit , cuius ruine ad turrim militiae, & templum S. Blasij.

Hic & forum Traiani , inter Capitolium , Quirinalem & forum Augusti : cinctum olim portico magnifica , fulta ingentibus columnis , Apollodoro architecto . ibi multæ statuæ , & imagines quædam . Arcus quoque triumphalis marmoreus , cuius hodie , ne vestigium quidem exstet : ut ne porticus quidem , nisi quod ad ædem S. Mariæ de Laureto columnæ duæ reliquæ sunt porticus Traiani.

Apparet solum , omnium instar , colūna Cochlis , quæ Imperatoris maiestatē populiq; Ro. ostendit. Scripsit ea de re , figuræsque æri incisas exhibuit Alfonsus Ciacconius , homo Hispanus . Cælatæ enim sunt in circuitu res gestæ Cæsaris Traiani bello Dacico , aliisq; militari bus expeditionibus . Alta est pedes CXXVIII . cum basi verò CXL . lapidibus structa est XXIV . tantæ vastitatis , vt opus videatur non ab hominibus sed à gigantibus perfectum . Singuli lapides gradus octo continent: per hos ascendiatur . Lumen præbent fenestellæ XLIII . Nihil usquam terrarū admirabilius , nihil magnificètius . Erecta autē est , quemadmodū inscriptio ostendit , ad declarandum quantæ altitudinis mons locus tanis operibus sui egestus . Detenus verò bello Parthico Imp. columnam sibi erectā non vidit , sed rediens victor fluxu sanguinis moritur Seleucia & Syriae . Corpus Romam relatum , ossa cineresque in pila aurea recondita . In foro hoc Traiani , templa sunt S. Siluestri , S. Basilij , & S. Martini : quæ posita sunt à Symmacho i. Pont. Bonifacius quoque VIII . tres turres ibidem extruxit , dictæ hodie Militia , præfertim media ,

media, quod sint eo in loco, ubi militum Traiani olim stationes fuissent.

Macellum *di Corui*, olim Coruini domus fuisse putatur. Iuxta est domus Marci Macaronei. In porta caput est Alexandri Magni. In vase sculptus Hercules, virtutis ingressus viam. In horto equus bene ornatus, inuentus in Thermis Antoninianis. Et Laocoontis simulacrum licet semiruptum, laudatum tamen a Mich. Angelo. Item, Apollinis, Dianae, Sphyngis, & illustrium capita marmorea: Romuli, Hersiliæ eius coniugis, Alexandri Magni, Iulij & Octauij Cæsarum, Marcelli eius nepotis; Traiani, Hadriani, Antonini, Zoroastris Astrologiæ inuentoris, & denique Antonini Caracallæ.

### M O N S E S Q V I L I N V S.

A foro Neruæ incipit Suburra, & sub Carinis extendebatur usque ad Tiburtinam viam, quæ medias Esquiliæ diuidebat. Vicus *Patricius* est dictus vallis illa quæ est inter Esquiliæ & Viminalem: sic dictus, quod patricij plurimi eam partem incolerent.

Esquiliæ, vulgo *l'Esquille*, dictæ ab excubiis, quæ ibi tempore Romuli collocatæ, differt hic collis a Cœlio, via Lauicana; separatur a Viminali vico Patricio. Via Tiburtina, ut dixi, dividit mediū collem Esquilinum, quæ à Suburra extenditur ad portā Næuiam. Tiburtina autem via, priusquam ad Marij trophya pertingas, dividitur, dextrâ versus Ioannem Lateranum, & cum Lauicana iungitur. Sinistrâ vocatur *Prænestina*, tenditque ad S. Laurentij portam.

Via Tiburtina arcus est Galieni Imp. qui & a vicino templo, *Veti* dicitur: constat è lapi de Tiburtino, sed simplex est structura. Iuxta erat Macellum Liuianum, ubi obsonia vendebantur.

S. MARIAE maioris h̄ic ædes est, auro, marmoribusque ornata. Nititur columnis marmoreis Ionicis. Arca h̄ic seu labrum, quale ad Pantheon. Isidi olim sacrum templum fuit. Se-pulcrum ibi S. Hieronymi. Ostenditur imago B. Mariæ, quam S. Lucas depinxerit.

Prope est S. Lucæ facellum, iuxta S. Potentianæ. In colle declivi fuit olim locus Iunonis, præsca religione sacer.

In Diuæ Praxedis, inscriptiones sunt, & columnæ cui alligatus C H R I S T U S virgis est cœlus. Hierosolymis allatam aiunt.

In templo S. PETRI ad Vincula, sepultus Jacobus Sadoletus Card. sed titulus non exstat. Ad sacrarium, sepulcrum Iulij II. P. Max. vbi Moyses ille à Bonarota sculptus, qui nulli antiquorum operum cedit. Alia ibidem antiqua & admiranda. Vas pro foribus marmoreum, quād magnum ferè ad S. Marcum spectari dimicimus.

Hinc itur ad templum Quadraginta Martyrum: à quo usque ad templum S. Clementis via Labicana Esquilinæ extendebantur, quæ ibi Carinæ dictæ.

Thermarum Titi Vespasiani h̄ic vestigia sunt ædificia subterranea, quæ dicuntur Le sette Sale. Erant enim castella, seu aquarum receptacula, ad lauacra Thermarum necessaria. In proximis vineis Feliciorum fornices apparent, in quibus Grotescorum picturæ insignes. Pertinebat enim concamerata h̄ec loca ad palatium Titi. H̄ic reperta illa Laocoontis statua integræ, quæ est in Palatio Vaticano Pontificum, & cum summa admiratione quotidie spectari, ne dicam stupore, solet.

Aedes S. Mariæ in montibus à Symmacho Pont. structa in ruinis Thermarum Hadriani: unde & hodie Adrianello locus nominatur.

Ad

Ad templum SS. Iuliani & Eusebij moles quædam latericia altè attollitur, in qua fuerunt castella aquæ Marciæ. Supraposita erant Trophæa Marij, hoc est, armorum spoliorumque congeries arboris trunko alligata: posita bello Cimbrico è marmore in C. Marij honorem. Quæ cùm euertisset bello ciuili Sulla, restituta sunt à C. Cæsare. A tergo Trophæorum in vicinis magnæ ruinæ sunt Thermarum Gordiani Imp. iuxtaque palatum exstruxerat, in quo ducentæ erant duplii ordine marmoreæ columnæ. Præter murorum spondas tamen nihil hodie reperias, reliqua ornamenta in diuitum ac nobilium translata domos ac familias.

Ab his Thermis via ad dextram, dicta Labicana, tendit ad portam Maiorem, ut hodie nominant: quæ etiam habet inscriptionem. Inter hanc portam, quæ & hodie S. Crucis, olim verò Næuia dicta est; & inter Esquilinam, quæ & vulgo, S. Laurentij, à templo quo dicit, ad mœnia conspicies ruinas amplæ basilicæ, quam Augustus nepotum nomine Caij. & Lucij ædificauit. Restat adhuc fornix altissima. Vulgo corrupta voce, pro Caio & Lucio, nominant Gallucio.

Iuxta fuit olim palatum Licianum, vbi post templum S. Bibianæ Simplicius Pont. posuit: ad quod palatum fuit Vrsus pileatus, locus sic dictus ab vrsi statua, quæ pilo tecta:

Secundum mœnia perge ad Esquilinam portam, quam & S. Laurentij, & Tibertinam hodie nominari diximus: à templo quod ei Martyri Constantinus Magnus ædificauit, antiquitate & religione clarum. In eo sunt monumenta vetera, tabulæ, & sarcophagi, præsertim figuris instrumentisque sacrificantiū insigniti.

Hac porta sumptuoso aqueductu inducitur in Urbe n aqua Marcia, quem Q. Marcius pri-

mūm extruxit: pōst vetustate consumptum restituit M. Agrippa. Aqua verō deducta per millia xxxv. & per Esquiline hanc portam deriuabatur ad Thermas Diocletiani, locaque vicina. Salubris enim, & potui apta ciuibus. Inscriptum aquæductui legitur: IMP. CAES. DIVI IVL. F. AVGVSTVS PONT. MAX.

Cetera tu & lege, & describe.

Ab altera huius portæ parte ingrediebantur aquæ, Tepula & Iulia. Huius scaturigo distat ab Urbe millaria sex: Tepulæ undecim, quæ ex Frescatino agro oriebatur. His & Anio venus iungebatur, qui è Tiburtinis montibus virginis in milliaribus Romam perduclus.

Super Aniene pons est Mammæus: sic dictus à Iulia Mammæa, matre Alexandri Seueri Imp. cuius impensis est restauratus. Hodie, Ponte Mammo. hinc etiam appellatur.

Ab Esquilina porta via Prænestina Prænestine ducebat, & altera Labicana ad Labicanas, hoc est, ad Valmontonem ferebatur.

Exquilia pars ad S. Laurentij in Fontana vocabatur *Virbius Clivus*, ad quem locus erat *Fagutalis*: iuxta quem Seruius Tullius rex Rom. sextus habitauit. Inde vicus est Cyprius: qui & *Sceleratus* dictus, quod à genero cæsus Tullius, & per patris mortui corpus filia aurigam carpentum agere coëgit. Pertinebat autem usque ad *Busta Galliæ*, sic dicta quod Galli Senones ibi cæsi, cremati, ac sepulti à Camillo. Locum hodie corrupta voce *Porto gallo* nominant, ubi structum templum S. Andreæ ad busta Gallica. In summo vico scelerato palatum habuit Cassius, quod solo est equatum, positumque Telluris ienitulum, quod hodie S. Pantaleonis est.

Templum S. Gregorij in Damaso ædificatum est in ruinis arcus Triumphalis Gordiani Cæs.

Cæs. qui variis erat marmoribus insignis.

Ad S. Agathæ, ad radices collis Viminalis famum fuit Siluani, cuius adhuc durant vestigia.

### VIMINALIS Collis.

Viminalis collis adiacet Esquilino, ad mœnia in longum extensus, dictusque à Iouis Viminalis inibi templo religiose culto. Hinc & porta Viminalis dicta: & Nomentana, quod Nomentum via ducat. Hodie porta S. Agnetis, ab eius templo, quod olim fuit Baccho sacrum. In quo spectatur arca vastissima ex porphyro, qua nulla Romæ maior. Pueri vindemiam colligentes inscripti sunt. Falso vocant plerique sepulcrum Bacchi.

Via Nomentana longius paullo pons est Numentanus, à Narsete Eunucho sub Iustiniano Imp. vt inscriptio docet, structus.

Inter Nomentanam & Salariam portas Nero Imp. habuit suburbanum, cuius adhuc apparent vestigia: Donauerat Nero liberto, & in eo veritus publicum supplicium, pugione sub papillam adacto, adiuuante Sporo liberto, mortem sibi consciuit.

Porta Querquetulana hodie clausa manet: iuxta apparent mœnia quadrata: Reliquæ sunt castelli, in quo diversabantur milites, qui custodia Diocletiani Imp. erant destinati.

In dorso Viminalis Thermae sunt Diocletiani admirandæ vastitatis, ac semidirutæ; nullæ tamen Romæ integriores. In his constituen- dis quadraginta Christianorum millia per annos XIIII. seruili more dicuntur esse vexata. Diocletianus & Maximianus magno sumptu inchoarant, Constantinus vero & Maximianus absoluerunt, dedicaruntque. Hodie locus di- etus, alle Therme, & subterraneus locus, Bocca di-

*Therme, receptaculum est aquarum, quæ ad la-  
uacra erant necessariæ: Diocletianus etiam Pa-  
latium adiecerat: quod restantur ruinæ, testu-  
dinataque ædificia, quæ supersunt, basesque co-  
lumnarum ibi repertæ.*

*Hic celebris illa fuit Bibliotheca Vlpia, in  
qua elephantini libri asseruabantur.*

*Ad Thermarum dextram sunt horti Card.  
Bellaij amoenissimi, fructibusque abundantes.  
In ambulacris statuæ sunt, Iouis, Apollinis, Or-  
phei, Palladis, Bellone, Vertumni, Antinoi, alio-  
rumque Deorum, virorumque illustrium, basi-  
bus impositæ. In contignatione vero, duarum  
Naiadum, Hebes, Vulcani, Ganymedis, Iouis,  
Apollinis, Sabinæ vxoris Hadriani, Lucillæ,  
Faustinæ iunioris, &c.*

*Ad alteram Thermarum partem templum  
est S. Susannæ: olim sacrum Quirino. Romu-  
lus enim, Proculo Julio Alba redeunti, in celum  
translatus, ibidem creditur apparuisse. Propter  
ea diuini illi sunt à Senatu honores tributi,  
templumque positum, ut Deo. Et ciuius qui ad  
arcum usque Constantini pertinet, vallis Qui-  
rinalis hinc dictus, quod Quirinus Romulus  
Proculo ibi occurserit.*

*Olympiadis balnea sua habent vestigia non  
procul à templo S. Laurentij in Panæ & peñæ;  
vulgò Panisperna. Et hic Decius Imperator ha-  
buisse palatium fertur.*

*S. Pudentianæ templum Pius I. Pont. preci-  
bus S. Praxedis, eius sororis, constituit: ubi etiam  
ruinæ balneorum Nouati.*

*In templo S. Laurentij in Panisperna lapis  
ostenditur marmoreus, religiose cultus, in quo  
S. Laurentij assatum corpus & vstulatum repo-  
situm est à morte. Quale manor & visitur in  
S. Laurentio extra muros. Sepulcrum hic quo-  
que Gul. Sirleti Card. linguarum peritissimi.*

*A tem-*

A templo S. Susannæ via Quirinali horti sunt Rodolphi Card. Carpensis : quibus nihil Romæ amoenius tunc fuisse Iac. Boisardus audacter pronunciat, imò ne in Italia quidem, aut Neapoli, quæ urbis hortis loci bonitate prestat: ut ne Toletani ibidem horti superent Carpenses. Statuæ hic multæ, ut amplius cxxxvii. idem numerarit : & certè erat Rodolphus ut doctus, sic & Antiquitatis amantissimus, vestigia patris secutus Alberri Pij, Corporū Principis, qui & in Erasinum doctè stylum strinxit. Fons hic, artis admirandæ, superare omnia videtur. Statuas, qua potero breuitate, recensabo : de situ non admodum laborans, quod transferri soleant signa, imò & migrare in alienas familias, precio empta. Romæ enim cupidè nimium quæruntur.

Ad portam primam Medusæ caput : ad secundam Naturæ simulacrum, variis animalium figuris, & florum : & mammosæ. Hieroglyphicum quid esse dixeris. Ad primos palati gradus Sphynx est, & Aesculapius è marmore. In corte Hercules clavæ lœua innixus, cum exuuiis leonis. Senex quoque ignotus, cum sandaliis. Pallas quoque galeata, & prope coluber se insinuans Vrania hinc, & Tragœdia & quinque continenter Termini seu Hermæ, interiectis matronis. Pluto insidens tricipiti Cerbero, & mulier è lapide subnigro.

In cœnaculi porta ad pastoris dormientis basim inscriptio est:

*At secura quies, & fallere nescia vita.*

Ad fontis ingressum est Hercules, continens manu mala Hesperidum : mox Faunus utrem premens. Naias Nympha somnolenta ad fontem dormit, puer ponè adstans blandè idcirco arridet. ut hinc artificis diuinum agnoscas ingenium. Ex altera parte mulier vestita, cuius è

vasculo aqua scaurit limpida. Super cisterna hinc inde, Pomona & Flora stant, ad dextram Serapis, è lapide Numidico, basi variegata imposita. Ibidem & Iupiter pallio tectus: & caputa Medusæ, Palladis, & Iani bifrontis: & in tabula marmorea sculptus est Mithras Persarum Deus, inactans taurum. Ad cisternæ ingressum tabulam marmoream duo viri tenent, cum his litteris ΑΓΛΗΒΟΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΚΒΗΛΩ. In hortuli ingressu, hinc Pallas, illinc mulier est: in porta caput muliebre: & in tabula marmorea Hercules vi comprimens capillos mulieris, quæ in serpentem desinunt. Lernæam paludem, ad quam Hydram Hercules vicit pleziique interpretantur. In horto Pallas altera vestita in vrna, variis animalium fuguris ornata. Candelabrum ingens triangulare, cum tribus figuris Herculis, Faunæ, & Fortunæ. Ad dextram Apollo, cui ad pedes anas est: alteru rursum candelabrum triangulare, cum suis figuris, & Votis Ioui & Syriæ. Ad ingressum vineæ Nereis nympha incumbens vrnæ, sub qua rapta Proserpinæ. Hic Terminus biceps, Domitianæ statua, cum leonis spolio, item Palladis & Liuiæ Drusillæ matris Augusti: Apollinis, tripodes duo bene elaborati, Ledæ, Apollinis, Hermaphroditi, & Faunæ, quæ est Bona Dea, statuæ visuntur. In umbraculis arborum Satyri simulacrum, & Leonis egregium. Sunt & variæ Inscriptiones. Huius Alberti Pij Card. Carpensis palatum est in campo Martio, de quo infra dicemus. Apud Laurentium Rodolphi fratrem videtur & Mercurius petratus, alter item cum lyra. Hermaphroditus cum canæ, Diana succincta, ut venatrix, singulari artificio. Bacchus, & laruæ quatuor. Tabula marmorea in qua tres sacrificantium habitu matronæ. Capita varia Deorum, & Impp. Traia-

Traiani, M. Aurelii, Catonis, Commodi, Hadriani, Antinoi, Antonini Pii, Septimij Seueri, Scipionis Africani, Bruti, Bacchi, Herculis cum leonis exuviis circa fauces religatis. Inter hortos Carpenses & S. Susannæ templum via arcta & obscura, ad quam ruinæ templi Solis monstrantur.

### QVIRINALIS Collis

Dicitus à Quiritibus, qui Curibus urbe Sabinorum cum Tatio Romam migrantes, collem hunc occuparunt. Hodie *Monte di Caballo*, ab equis summi artificij, quos ibi spectari mox dicam. Diuiditur autem à Viminali ea via, quæ ducit ad portam S. Agneis.

In hoc monte horti sunt magnificentissimi Ferrariensis Card. quibus nulli Romæ arboribus splendidiores, ut & Sylva specie præbeat, & Labyrinthi. Hac re vincunt Carpenses hortos, sed Antiquitatibus & Inscriptionibus priscis sunt inferiores.

In dorso Quirinalis colosseæ sunt duorum virorum statuæ, qui frenis duos ingentes equos atque indomitos è marmore retinent. Basi inscriptum leges, opus esse Phidiae, & Praxitelis. Hinc monti nomen Caballino, Romam ferunt adiectos à Tiridate Armeniorum rege, & Neroni donatos: qui ut peregrinum regem Romano exciperet splendore, Theatrum Pompeij, in quo ludos exhibuit, laminis aureis tridui tantum spacio, sterni curauit. Quam magnificenter non tam admiratus est rex Barbarus (nec enim Romam orbis opes aduehi ignorabat) quam artificum solerteriam atque diligentiam.

Prope est domus religiosorum S. Benedicti, qui S. Pauli ædis sacræ curam habent, & è regione ingens Palatum æstibus aptum à Xysto v.

exstru-

exstructum. Spectantur & altissimæ testudines, quæ sunt reliquæ Oratorij Neronis, quod hortis adiunxerat. Frontispicium altè se extollit, quod hodie vocant, *Fronton di Nerone*. Hinc Nero spectauit Vrbis incendium, quod per incendiarios clàm ipse excitarat, & Christianis imputauit, ut in odium eos S. P. Q. R. adduceret: Edicto etiam publicato, ut qui Christum DEVM faterentur, comprehensi & in Neronis hortis flammis excarnificati exurerentur.

In altera Quirinalis parte sunt arcus, fornices, & cellæ subterraneæ plurimæ. Therma-  
rum nimirum reliquæ Constantini Imp.

Quà Suburram spectat Quirinalis, sacellum adhuc exstat, in hortis Bartholinorum, fornicatum, tessellato opere ex conchylis venustissimè exornatum, variorumque figuris piscium. Id olim fuit Neptuno sacrum.

Vicus ei locus est, qui hodie *Bagnanapoli* vocatur, corrupto vocabulo, ex Balneis Pauli. Hæc enim Paulus Aemilius construi curauit: & Palarium Comitum (hodie *ad omni*) ex his ædificatum, & exiles hodie sunt reliquæ. Turrim autem Comitum Innocentius III. Papa, qui ex hac familia erat, erexit. Altera turris Militiarum structa est à Bonifacio VIII. P. M.

In hac Quirinalis parte domus est Corneliorum, à qua platea dicitur *il vii odi Cornelij*, & templo S. Salvatoris *di Cornelij*, quod olim Saturno & Baccho sacrum fuit.

A templo S. Salvatoris via ad portam S. Agnetis per dorsum Quirinalis, olim dicta *Alia semita*. Ad cuius dexteram non procul à S. Vitali, ædes Pomponij Attici cum luco erant, teste Corn. Nepote.

In extremo Quirinali & Viminali fuit *Suburra plana*; & ad radices Viminalis templum *Silvani*.

La

In Quirinali summo templum fuit Apollinis & Clatræ, & Sacella Iouis & Iunonis, Capitoliumq: vetus: quorum hodie vestigiū nullum.

Ad S. Susannæ olim forum & domus Sallustij: qui locus hodieque corrupta voce ~~Sallustio~~ dicitur. Horti eiusdem amoenissimi locum illum occupabant inter portam Salariam & Pinicianam, colles & valles utrumque. In horum medio fuit aliquando obiliscus parvus Hieroglyphicis Aegyptiorum notis signatus, & Lunæ dedicatus: nunc alio translatus.

In descensu Quirinalis versus forum Nervæ, turris est; hodie ~~Torre mea~~ dicta: creditur fuisse domus Mæcenatis pars, ad cuius etiam hortos amoenissimos Augustus Cæsar sèpè, vitandum negotiorum gratia, diuertit. Alij templi partem faciunt, quod Soli M. Aurelius dedicavit.

Apud Ascanium Magarozzam, non procul à Comitum iurri, capita sunt marmorea Sabinæ mulieris Alexandri Mammeæ filij, Hadriani, L. Veri, Claudi Imp. qui Galieno successit, & Bacchi è rubro marmore, & alterius pampinis reuincti, pueri humeris vnam sustinentis. In tabula vir taurum conficiens, mirum opus. Silenus ebrius. Tabulæ item duæ, vbi Hercules zogo impositus spectatur. Terminî duo. Maria Otacilla in solio sedens, sedens & Iulia Mamaea, vestita. Capira Aesculapij, & colossi, aliaque in Cœlio monte effossa.

Apud Euryalum Siluestram, ad templum Pacis, Bacchus est hedera coronatus. Sabinæ mulieres aliquot intus. Capita Iouis, Augusti, & Hadriani: Hercules, Diana, cum Lunæ cornibus, Bacchus alter pampinis redimitus, scyphum manu gestans. Eudymion, Antoninus Pius; & quæ ad Gallica busta effossa sunt, Hadriani & Antinoi capita, Palladis quoque & Augusti

Augusti Cæs. Diana succincta, cum pharetra  
ex humeris. Pan saliens. M Antonij III. vi-  
xi caput, Cupidinis pueri suavè ridentis, Iouis,  
Neptuni, Iudæ cum Cygno ludentis, Herculis,  
Lucretiæ: gladiatoriis cum machæria; aliaque  
vetustatis miranda monumenta.

### ITINERIS ROMANI DIES QVARTVS.

**A**BURGO rursum per Aelium pontem adver-  
so Tiberi, venies ad locum qui hodie Ri-  
petæ dicitur, ad S. Blasij ædem, quæ olim Ne-  
ptuni fuisse putatur, ab Hadriano Imp. instau-  
rata & ampliata. Hic naufragi tabulas po-  
tentia maris Deo suspendere solent, votaque  
soliere.

In valle Martia ad templum S. Rochi Mausoleum Augusti apparet, ab Octauiano extru-  
ctum sibi sepulcrum, posterisque è familia Cæ-  
sarum. Amphitheatrum enim seu Circum à  
Julio Cæsare ibi erectum sustulit, & cum sepul-  
cro mutauit. Ambitus ferè adhuc integer est,  
opere per rhombos distributo: pertinetque ad  
Sanderinorū ædes, vbi Galeriæ Faustinae caput  
est elegans. In domo Franc. Sanderini statua  
est Anteum mortuum spectans, quam maximè  
commendat Mich. Angelus. Ibideim Vestalis  
cum instita; Gladiator; Diana succincta cum  
pharetra. In pila viri IIII. equos frenis te-  
nentes: prima & quarta inscriptio delecta est:  
in secunda scriptum. HOC EST. in tertia, SIC  
EST. in quinta, ET CREDE NON LICET.  
Hinc visuntur Triumphi Amoris, & a proli-  
venatio. In Mausoleo est Cornucopiae tenens  
matrona cum fructibus, & Aesculapius colos-  
seus cum serpente.

In Mausoleo duo erant Obelisci ex ophite  
lapi-

lapide Aegyptio, pedes alti XLII. quorum unus  
in via Flaminia fuit ante templum S. Rochi,  
alter terra obrutus in hortis posterioribus.

Circus verò Iulij Cæsaris, quem diximus, ab  
hac mole usque ad montis vicini radices erat.  
Iuxta palatum Augustus habuit, & porticum  
superbam; Lucumque Diis manibus sacraue-  
rat, à templo B. Mariæ Populi usque ad Tri-  
nitatis.

Sepulcrum Marcelli Mausoleo iungunt qui-  
dam, & vestigia monstrant: quæ tamē ad Mau-  
soleum pertinere Boissardus opinatur.

Naumachiam quoque Augustus instituerat  
in depressori parte vallis Martiæ, quæ vergit  
ad collem Hortulorum, in qua ludi fierent na-  
tuales. Domitianus eam vetustate collapsam  
restituit, nomenque suum dedit: qui & Flaviae  
genti templum ibidem collocauit: ubi hodie  
S. Silvestri templum est.

Vallis Martia dicta est à campo Martio,  
eius pars erat depressior. Eius locus à Tiberi  
versus collem Hortulorum, & ab area Domi-  
tiani in Via Flaminia, usque ad portam Flami-  
niam.

Via Flaminia (hodie, *El corso*, à cursu anima-  
lium ac puerorum stato anni tempore) dicta  
est à Cn. Flaminio Cos. qui Liguribus deuictis  
eam stravit. Tenditque à porta Flaminia (quæ  
olim etiam Flumentana, à Tiberi flumine cui  
adiacet, hodie, *Porta del popolo*) Pisaurum usque  
& Ariminum. Extra hanc horti sunt Inscriptio-  
bus pleni, præcipue Francisci Ragaterij,  
simulacris ornatur.

Iulius 111. De monte Pont. Max. propè por-  
tam Suburbanam predium & vineam extruxit,  
quæ Romana oīnnia maiestate superat: &  
quemadmodum inscriptio ait, *publicæ commodi-*  
*tati fontem irriguum in viam deriuauit. Colles*

autem possidet ad pontem usque Muluium;  
qui hodie, *Ponte mole* dictus est.

Ingredientibus occurrit vis magna illustrium  
virorum, Hirtij, Pansæ, Ciceronis, Cethigi,  
aliorum. In area variæ icones, Herculis, Ga-  
nymedis, Veneris, Apollinis, Dianæ, Opis, Aes-  
culapij, Bacchi, aliorumque, quæ in bacillis  
rite collocatae statuæ sunt.

Fontem hic posuit, tanti artificij & sumptus,  
ut nescias artificemne, an Pontificis celum  
animum admireris magis. Certè stupore spe-  
ctanti præbeat; typū architectis, & Rhetorum  
hic campus sit describendi singula, ut conatur  
Boissardus: sed vidisse quā leguisse magis iuuat,  
nec satiat. Inscriptiones hic sed nouæ, quibus  
Dominus carpendi modicè, nō furandi, violan-  
dique facit potestatē: quas aut describe, aut lege.  
Hic in vicinis collibus ædificia, ad æstuas in-  
ambulationes. Duo obelisci & pyramis altissima.  
Hortus hic Inscriptionibus plenus &  
marmoribus: in quibus est Terminus ex ala-  
bastro orientali candidissimo, & Suria (sic enim  
Aegyptij Naturam vocant) facie velo recta, &  
in pectore animalia omnis generis: Gradus  
vndique, significans arcana Naturæ ignorari,  
ex effectis animalium cognosci, & labore ad  
eam cognoscendam ascendi posse. Maior hinc  
hortus est, vineis ac vitibus consitus, cum Ter-  
minis ingentibus, qui sunt Hermæ, à Græcis sic  
Mercurij nomine appellatæ: ut Alcibiadis, So-  
cratis, Aristophanis, &c. quas Tibure effossas sta-  
tuas in Hadriani villa, Româ allatas fuisse doctis  
assentior, edideruntque imagines Achilles Sta-  
tius Lusitanus, & bis Fulvius Virsinus Roma-  
nus, homo Antiquitatis, omnisque adeò erudi-  
tionis princeps.

Vterius pons est Muluius Tiberi impositus,  
hodie *Ponteæ Mole*: ad quem Maxentium vi-  
bis

bis tyrannum pugnando vicit Constantinus Magnus: qui ne in triumphum duceretur, equo in flumen se præcipitauit. In Constantini vero honorem Arcus erectus est, qui est inter amphitheatrum (vulgo Coliseum) & Septizonium Seueri.

Porta Flaminia in urbem reuerso occurrit Arcus Domitianus, vulgo Di Portugali ( à Lusitanæ legato, qui iuxta habitarit ) vel Tripoli dictus, ad Templum S. Laurentij in Lucina. Rudis est fabrica, ingens tamen est hic Domitianus statua, præterea nihil; quam tamen alij Claudijs Imp. esse volunt, eiisque arcum dedicatum.

Templum S. Laurentij in Lucina, olim fuit Iunonis Lucinæ, quam pueræræ venerabatur, si partum enixæ essent.

In ædibus Pauli Ponti, via Flaminia aper Calydonius à Meleagro cæsus: quod simulacrum quingentorum ducatorum precio vendi non potuit, propter operis excellentiam. Ibidem Hercules cum spolio leonis; Apollo, Pomona, Cupido, Siluanus, Diana pharetrata, Meleager alter mutilatus, Pallas, Hermaphroditus, Adonis, Nox seminuda, coronata stellis. Atalanta cum aprino capite, Silenus barbatus, hederaque redimitus. Capita hic Poppææ uxoris Neronis, Drusi fratris Tiberij, Louis, pueri ridetis, & alterius galeati; duarum mulierum incognitarum, item Iani bifrontis; Tigres ænei duo. Hæc omnia inuenta extra Vrbem in vinea ad S. Laurentij extra muros.

Apud Franc. Aragonium in eodem vico Populi, varia monumenta marmorea. Pueri item & Naiadis nymphæ vrnam tenentis. Pomæ item, aliaque.

In domo quæ fuit Card. Sarmoneti, colossea statua visitur, & Hercules, cum clava, & leonis exu-

exuuijs; ad cuius pedes iacet taurus. Senex Ro.  
latus, & Nympha.

Apud Ambrosium. Lilium ad radices collis  
Hortulorum Tabula pulcra Regis iudicantis in  
tribunali: nisi forte contentio est Neptuni &  
Palladis. Hercules quoque iuuensis iubis tenens  
caput equinum.

Campus Martius, qui olim extra moenia  
erat, locus à Quirinali ad Xisti pontem & Ti-  
berim pertinens. In eo iuuentus Ro. exerceba-  
tur armis ad bellum: & comitia siebant creandis  
magistratibus.

Obeliscus è regione ædis B. Mariæ Populi,  
portæque Flaminiae spectatur, notis & litteris  
Hieroglyphicis illustris. Olim medio in campo  
Martio erectus stabat, post prope templum  
S. Laurentij in Lucina iacuit in cellis vinariis.  
Hunc Augustus Cæsar ex Hierapoli transferri  
Romam iussit, cum aliis duobus, quos in Circo  
Maximo statuit: Plinius altam scribit ex pedi-  
& à Marfodite sculptum, in eoque Philosophia  
Aegyptiorum interpretationem contineri. Basi  
inscriptum legitur, quod & Iosephus Castalio  
I.C. commentario Romæ explanauit:

CAESAR DIVI. F. AVG.

PONT. MAX. IMP. XII.

COS. XI. TRIB. POT. XIV

AEGYPTO IN POTESTATEM

P. R. REDACTA

SOLI DONVM DEDIT.

Apud Antonium Palosum prope Doganam  
veterem, statua equi impingentis, multi artifi-  
cij. Capita item Drusi, Iuliæ Aug. filiæ, Gale-  
riæ, Faustinæ iunioris, vxoris M. Aurelij Ha-  
driani, Bruti prisci, Domitiani, Galbæ, & Sabi-  
næ Hadriani: Herculis quoque, Bacchi, Siluanii,  
& Mercurij: & in marmorea tabula Tiberij  
Cæsaris triumphus expressus.

Apud

Apud Iac. Iacobatum mulieris ignotæ statua. Capita Hadriani, Neruæ, M. Aurelij, Antonini Pij, Scipionis Africani, & gladiatoriis. Deorum quoque Louis, Panis, Veneris marmoreum, & alterum æneum, aliaque visu digna.

Apud Marcum Casalem Antiquitatis perstudiosum statua muliebris colossea, & viri altera; Bacchum esse putant, alijs Apollinem, qui ibidem & integer est & pharetratus. Mulier copiæ cornu tenens. Sed præceteris elaboratissimum caput Iulij Cæsaris seruat, quod precio negat æstimari posse: imo Capitis illius dominum (ne heredes venderent aut alienarent) dominum cum hortis proximis possidere testamento iussit. Clauditur itaque seruaturque in armario, peregrinis tamen ostendunt heredes non inuiti, si qui his delectentur Antiquitatis monumentis.

Forum habuit Antoninus Pius Imp. in campi Martij ea parte, quæ vulgo vocatur La piazza di Sciarra. Altissimam hic Columnam cochleam idem erexit, altam pedes CLXXV. Fenestellas habet LVI. quæ lucem intus præbent. Lapidibus confectam XXVIII. quidam volunt. At Mihi non liquere pronuncio. Gradus enim rapti sunt, neque ascensus in superiora, ut in ea quæ Traiano est dicata, patet. Exterius continet Antonini res gestas, excellenti figurarum sculptura. Locus hodieque à Columna illa, in Colonna, appellatur.

Ad templum S. Stephani in Truglio, columnæ illæ XI. reliquiæ sunt porticus, quam in suo foro M. Antoninus Pius struxerat, palatio suo coniunctam, quod ab hoc templo S. Stephani usque ad Pantheon pertinebat.

Inter columnam Antonini & fontem Aquæ Virginis erant Sepiæ campi Martij, sic dictæ, quia vallatus locus erat denso tabulato, in quem popu-

populus Ro. conueniebat magistratibus crean-  
dis suffragia latus. Quilia quoque dicta, ab  
ouium inclusarum similitudine. Huc Tribus  
in Comitijs conueniebant.

Collis ille editior inter Columnam & S. Lau-  
rentium in Lucina, hodie Monte Acitorio cor-  
ruptè fortasse appellatur, quasi Mons citato-  
rum, in quem è Septis singulis Tribus post lata  
suffragia se recipiebant. In eodem colle  
fuit Curia publica, qua hostium legati accipie-  
bantur, quibus Vrbem ingredi non licebat, nec  
in Græcostasi diuersari: quæ, ut dixi, fuit prope  
Comitium & Rostra, ad forum Romanum.

Aquæ Virginis fons est proximè, humili &  
depresso aquæductu, per cuniculos & tubos à  
vicinia pontis Salarij per portam Collinam, sub  
Hortulorum colle, & per Martium campum  
influens: hodie Fonte di Trei vocatur. Huius  
aquæductum instaurasse Nicolaum v. Ponti-  
tulus ibidem indicat: solaque hæc aqua de tot  
Aquæductibus olim tanto sumptu in Vrbem in-  
ductis, ciuium usui superstes mansit.

Ad populi Ro. Septa via erat fornicata, in  
qua templo Neptuni & Claudi amphithe-  
atre, cuius hodie nulla vestigia.

Ad aquam Virginem templo quoque ha-  
buit Iuturna, soror Turni regis Rutulorum,  
nympha antiquitus inter Napæas habita, &  
inter Indigetes, quæ agrorum cultum iuuare  
credebatur: unde nomen ferè conditum.

Domi Iacobi Colotij de Iesi statuæ sunt &  
Inscriptiones variae. Iuxta est Arcus è lapide  
Tiburtino, qui pertinet ad Aquam Virginem,  
cum hac Inscriptione: TI. CLAVDIVS DRV-  
SI F. CAESAR AVGUSTVS. cetera tibi de-  
scribe, ex fide tamen bona, ne quid peccet scri-  
ptura. In fonte hi versus leguntur: Sub statua  
Nymphæ, quæ tamen ablata est:

Huim

Huius Nympha loci sacri custodia fontis  
 Dormio, dum blanda sentio murmur aqua:  
 Parce meum, quisquis tangis caua marmora, som-  
 num  
 Rumpere; siue bibes, siue lauere, racc.

Pompilius Narus statuas habet Herculis &  
 Veneris, in vinea sua collis Hortulorum re-  
 pertas.

In monte Acitorio ædes sunt Gaddiorum,  
 olim Card. Gaddi. Hic illustrium capita, & Au-  
 gustorum:

Iulij Cæsaris,	Alexandri Mammeæ,
Octaviani,	Pyrrhi regis Epir.
M. Agrippæ,	Claudij,
Septimij Seueri	Aureliani,
Getæ,	Antonini Caracallæ,

Philippi Imp. è serpentino lapide viridanti.  
 Statuæ item Antonini Pij, Galerij Faustinæ,  
 M. Aurelij, Faustinæ iunioris, L. Veri, Traiani,  
 Hadriani. Rursum Apollo arcum tenens, Cu-  
 pido dormiens in clava Herculis & leonis exu-  
 viis. Tabula hic ostèditur limbo inaurato, cuius  
 precium ob marmoris excellentiam æstimari  
 non potest: aliaque ~~reputanda~~ gemmarum, &  
 lapidum in Musæo seruantur.

Apud Desiderium Vrsacium, ad S. Magda-  
 lenæ & Pantheon, Dianæ statua, vel Orcadis  
 nymphæ, capreoli pellem tenens; & Orpheus  
 mutilus, aliaque visuntur.

Apud Antonium Gabrielem ad S. Marij  
 supra Mineruam, capita sunt Tiberij, Traiani,  
 Germanici, Commodi: Hermaphroditus item  
 & Drusus, quæ alijs Romulum faciunt in Ther-  
 mis Antoninianis repertus, cum Remi capite,  
 quod ad magnum Etruriæ ducem missum. Ibi-  
 dem caput Pythagoræ antiquissimum, Catonis,  
 Lucillæ, Otacillæ, M. Agrippæ, qui Pantheon

CON-

condidit: M. T. Ciceronis, Bacchi, Cupidinis,  
Eratus Musæ, Cæsoniæ, Faustinæ, Termini, Sa-  
tyri, & reliquorum.

Præter cetera Romæ spectandum maximè  
palatium est Cardinalis Rodolphi Pij Carpen-  
sis, in campo Martio: de cuius hortis suprà dice-  
re memini in Quirinali. Liber foret si quis  
omnia depingat, omnia colligat: quod utinam  
aliquis præstet. Nos recentebimus pauca de  
multis. In hortulo Termini v. Nilus cum cro-  
codilo, Nar fluvius; Matrona brachium serpen-  
te implicatum habens: unde Cleopatram  
quidam putarunt. Museum illi triplex. Hic si-  
mulaera Apollinis, Dianæ, Cereris, Atys pasto-  
ris Idæi, & aliorum. Vrnæ ex cocto lapide toto  
palatio inter statuas appositæ, aspectu pulcræ.  
Libri duobus locis antiquissimi in membranis  
scripti, Græci, Latini, Hebræi, Arabici. Adde-  
xtram capita Galeriæ Faustinæ, Iuliæ Cæsariæ  
Aug. F., Antoniæ, Cupidinis. Inscriptiones  
marmoreæ varie. Tabula vna è lapide bisalthe  
nigro & densissimo, notis Aegyptiis illustris. Ad  
læuam capita Iuliæ Mammeæ, pueri ridentis,  
mulieris ornatae calatæca, vel mitra Syria; Her-  
culis, Fauni. Inscriptiones rursum plurimæ: Ale-  
xander Magnus in tabula, cum puerò alato. Ca-  
nopi caput ex lapide Aegyptio viridi, & Iouis  
Hammonis. In secundo Museo Vasæ omnis  
generis, capita Antonini Caracallæ, Iuliæ Titi  
filiaæ, Galbæ, Numæ Pompilij, Domitianij, Se-  
ptimij Seueri, Philippi Imp. & aliorum. Libri  
rursum antiqui, cum in membranis scripti, tum  
in papiro Aegyptia. Inscriptiones quoque &  
Epitaphia pretiosissimæ in lapidibus. Tabula gran-  
dis marmorea cum Græca inscriptione. Hic  
puer sedēs; & Alexandri M. quasi morientis ca-  
put. Item Brutii caput, hoc addito Elogio:

Q. 24

Quæ tibi cumq; mei potuerunt pignora nati  
Nata dari populo sunt sacramenta data:  
Et volui maiora nimis, sed cura mcorum  
Fida tui prohibet me cinerem esse rogi.

Ad dextram portæ, Venus est, cuius artificium  
superat reliqua omnia quæ Romæ sunt: neque  
abs re (nec enim integra) creditur esse Venus  
Gnidia celeberrima veterum scriptis. Iuuenis  
quoque non minoris artificij, cum musculis,  
adèò elegans, ut artificum oculos non satiet. In  
cœnaculo colosseum mulieris caput, & L. Veri  
iuuenis, & adulti, Poppeæ Sabinæ, Hadriani,  
Annij Veri, & Græci hominis, Termini ex mar-  
moriæ æmathite; Satyri, Cupidinis. Hic & præ-  
stantiss. Italiæ pictorum imagines conspiciun-  
tur, Raphaëlis Urbinatis, Michaëlis Angeli  
Bonaroti, & aliorum. Marmora quoque inscri-  
pta variis & characteribus & linguis. In tertio  
Museo pulcro ordine sunt capita virorum illu-  
strium **LXXVI.** quorum **xxxxi.** maiora summi  
artificij, ex orientali marmore candidissimo:  
vnum Veneris, duo veterinarum, totidem Hercu-  
lis, vnum Palladis, &c. Hic &, Satyrus & puer  
plorans, quibus nihil tota Urbe est elaboratus.  
Simulacrum ostenditur Cybeles ex marmore  
nigro Aegyptio, & Suriæ siue Naturæ ex can-  
didissimo, cum mammis & animalibus, facie  
tamen nigra. Item Anubis cynocephalus.  
Terminus hæc receptacula sustinet. Hercules  
item, Satyrus ex æmathite lapide, cornu inflâs.  
Fauni statua, & Socratis, rarum opus & adimi-  
tabile. In vase æneo sculpti pueri piscantes.  
Apollo, & gladiator, aquila, taurus, &c. Hic &  
velut arinamētarium omnis generis armorum.  
Illud affirmare possim, Romam nihil possidere  
magnificentius, nihil admirabilius, quam quæ  
Rodolphus Card. Carpensis vir doctus iuxta ac  
hu-

humanus collegit: utinam ea heredes seruent,  
nec, ut sæpè fit, distrahant, vel donent: exterosq;  
arceant, ne inspicere possint, ignauia, vel odio  
adducti.

Apud Dominicū Capotiū, in plateæ Sciarre,  
principio, varia simulacra sunt: Palladis vestitæ,  
& Dianæ. Capitā Iunij Bruti, qui Tarquinium  
Roma exegit, Octavi; Augusti, Macrini, Ha-  
driani, Antinoi, Septimij Seueri, Iulię Māmæ,  
Alexandri Seueri, Cleopatræ, Veneris, Hercu-  
lis, Apollinis, Siliani, pueri plorantis, Iani bi-  
frontis, Parthorum regis captiui, & Bacchi in-  
sidentis vasi. Quæ omnia reperta in vinea  
eiusdem Dominici extra portam S. Ioannis, qui  
locus dicitur vulgo Basiliolo.

#### C O L L I S H O R T V L O R V M

Extenditur ab æde S. Siluestri usque ad por-  
tam Pincianam, siue Collinam, secundum Vr-  
bis mœnia: quamuis & alij eius magnitudinem  
producant usque portam Flaminiam. In hoc  
colle Pincius Senator olim magnificentissime  
habitauit, unde collis, & porta vicina Pinciana  
dicta: Domus eius vestigia in mœnibus appa-  
rent. In eodem colle & Domitiæ gentis sepul-  
crum fuit, quo conditus & Nero tyrannus. In  
summo colle concameratio est seu fornix, aut  
arcus, pars templi Solis: Iuxta humi iacebat  
obeliscus ex lapide Thasio factus cum titulo:  
S O L I S A C R V M.

Templum S. Trinitati, monachorum Gal-  
lorum, Minimorum, à Ludouico xi. Gall rege  
constructum, in quo Cardinalium aliquot se-  
pulcra, & M. Ant. Mureti hominis disertissimi,  
ad summam aram cernas.

Ad Collinam portam non procul à templo  
S. Susannæ, Salustius hortos, ut dixi, amœnissi-  
mos habuit, atque edes, quarū ruine spectastur

in valle, qua itur ad Salariam. Horti porrige-  
bantur per colles inter portam Pincianam &  
Salariam. Obeliscus hic quoque fuit, nunc alio  
translatus, non adeo magnus, Lunæ sacer, Hie-  
roglyphicis signis notatus. Locus nomen ferè  
retinet, *Salostrico*.

Campus sceleratus, seu via scelerata, in qua  
Virgines Vestales quæ stupro violatæ essent, vi-  
uæ defodiebantur; erat à porta Collina sub ędi-  
bus & hortis Sallustianis usque ad portam Sa-  
lariam.

Salaria porta, quæ & Quirinalis, Collina,  
& Agonalis dicta, digresso ad sinistram viæ Sa-  
lariæ, ruinæ se offerunt templi Erycinæ Veneris,  
quæ à matronis Augusto mense colebatur ut  
Verticordia, quæ maritos uxoribus conciliaret.  
Hic & ludi Agonales fiebant, vnde etiam portæ  
nomen.

Tertio ab Urbe lapide pons est Anieni impo-  
itus, integer adhuc, à Narsete, ut Inscriptio lon-  
ga docet. Ad hunc pontem ferunt Annibalem  
imbrium inundatione perterritum, soluto obsi-  
dio, castra mouisse ab Urbe. Hic inferius Tibe-  
ri Anio miscetur, ibique Torquatus gigantem  
Gallum superauit, & à collo torquem aureum  
detraxit: vnde & Torquati nomen adhæsit. Ob-  
seruandum, Tiberinam aquam multis annis in-  
corruptam seruari solitam, suauissimam & salu-  
berrimam, quoties hauritur paulò supra Urbem  
usque ad mare. Accidit hoc ex mistione Tibe-  
ris cum Aniene: quoniam hic aquas habet mul-  
to infectas nitro, quod ne putrescat prohibe-  
tur. Quique Tiberim supra Anienis ostia acco-  
lunt, utriusque aquas Romano more, ne cor-  
rumpantur, miscent. Inter Anienis arenas le-  
guntur amygdala, anisum, feniculum, aliaque  
in petram versa, ut in Romanorum conuiuüs  
in deliciis sint, ludantque arripientes, putantes

M

se

se dulciaria tragemata arripere, vocaturque pas-  
sim, *Confetti da Tivoli*. Superioribus quoque  
annis corporis cadauer humani cęsum, & in flu-  
men Anienem proiectum arboris radici adha-  
rens in lapidem conuersum est, & à putrefac-  
tione alienum, ut Titus Celsus, Patricius Ro-  
manus, à se visu in affirmat.

Ad Salariam portam templi Honoris reli-  
quia sunt: Item suburbanę domus Neronis, vbi  
Sporo liberto adiuuante, adacto sub papillam  
pugione sese intereimit, cognito se à Senatu ad  
pœnam quæri.

In vrbe, ad vallem collis Hortulorum, & Qui-  
trinalis radices templum est *S. Nicolai de Archemo-  
rii*; sic dictum, quia olim eo loci forum fuit Ar-  
chemorij.

Rursus ad hortos Carpenses, camerae sunt, &  
fornices longo ordine. Alij minij officinas, que  
ibi ad Circum fuerunt, fuisse putant: alijs mere-  
tricum sedem, Floralibus ludis, qui Florę in Cir-  
co siebant.

Ad templum xii. Apostolorum leo marmo-  
reus erectus est, singularis artificij opus. In  
æde Columnarum marmor Melissæ mulieris,  
ut habet inscriptio, ostenditur.

Ad *S. Mariam* in via, apud Franc. Arago-  
nium, in hortulo ad fontem Nilus est sinistra  
innixus crocodilo: utrumque duę statuę togatę.  
Hinc capita plurima, rursum xxiv. capita in  
altero hortulo.

Apud Hieronymum Frangipanem Cupido  
alatus, Statuę xv. & Hercules. In pila siue arca  
sculptum est iudicium Paridis de formę præ-  
stantia Iunonis, Palladis, ac Veneris. Mulier  
item laruam tenens, &c.

Apud Hieronymum Celotium ad *S. Ma-  
riam* in via, Nympha est dorso monstri marini  
insidens, Doriden alijs, alijs Galatheam faciunt.  
Tabu-

Tabula marmorea cum tauris duobus, quos vi-  
ti duo cornibus retinent. Altera in tabula, Iu-  
piter cum apro quem canis tenet. Victoriae  
quoque deae signum. Inscriptiones item, &  
marmora varia.

Buffallorum ædes sub Quirinali, paruæ qui-  
dem sed referitæ monumentis Antiquitatis. Si-  
gna hic Apollinis, Veneris cū Cupidine, Iouis,  
Iunonis, aliorumque Deorum. Capita Iouis,  
Palladis, Apollinis, Bacchi, Martis, Herculis,  
Mercurij & Aesculapij. Hortulus optimè con-  
sus est exoticis arboribus. Palmæ multæ qui-  
dem Romæ, sed dactylos tantum ferunt in hor-  
tis S. Mariæ populi, & Transtiberinæ. Sunt hic  
arborū interuallis, colosseæ statuæ, Cerberi tri-  
cipitis, & Tigridis. Statuæ Dianaæ, Pomonaæ,  
Sacerdotis Flaminis, Veneris, Herculis, Sabinæ  
mulieris, Persæ serui è lapide precioso. In cu-  
biculo Marij septies Cos. Tiberij, M. Aurelij,  
Commodi, Maximini Augustorū, Græci alicu-  
ius illustris: Scipionis Africani, Hadriani Imp.  
Mox Herculis, Vespasiani, M. Aurelij, Getæ  
Imp. Antonini Pij duæ statuæ, Lysiae quoque  
Atheniensium oratoris, hoc titulo ΛΥΣΙΑΣ. Ad  
horti extremum tabula marmorea, in qua tres  
Charites expressæ. Fons horto est additus, ex to-  
phis marinis efformatus affabré, in speciem ru-  
pis naturalis, tantæ pulcritudinis, ut nihil spe-  
ctari possit elegantius. Conchylia hic pre-  
ciosa, margaritarum splendore, & cochleæ In-  
dicæ, colore Iridis, & vñionum. Rupes arbori-  
bus integitur atque inumbratur. Tres hic Mu-  
sæ, & Caracalla Imp. In loculis verò repositi  
Demetrius, Maximinus, Philippus, Claudius.  
Per tubos aquas rupes ejaculatur limpidissimas.  
Lapidum hic varia genera, tessellato  
opere. Opus sanè admirandum & mirum qui-  
dem, sed pulcritudine par fonti Iulij 111. Pont.

M. 2 in vinca

DE COEMETERIIS  
VRBIS ROMAE.

Ex Onuphrio Panuinio.

CAP. IX.

**C**Oemeterium omnium vetustissimum *Ostrie-*  
*Gnum*, via Salaria ad tertium ab Urbe lapi-  
dem, in quo beatus Petrus Apostolus baptizasse  
dicitur, de quo Protonotarius S. R. Eccl. in actis  
Liberij Papæ c. 3. sic ait: Erat non longè à  
Cœmterio *Nouelle*, ad tertium milliarium ab  
Urbe, via Salaria Cœmterium *Ostrianum*, ubi  
Petrus Apostolus baptizauit.

Cœmteriu *Vaticanum* iuxta templum Apol-  
linis, & Neronis circum , via triumphali si-  
tum in hortis Neronianis, ubi nunc est Basili-  
ca S. Petri. Hoc Cœmterium præter sepulcra  
habebat fontem Baptisini , qui non omnibus  
cœmteriis communis erat.

Cœmterium *ad Nymphas*, in prædio Seueræ  
via Nomentana. lapide ab urbe inter septem &  
octo, in quo sepulta fuerunt corpora sanctorum  
martyrum Alexandri Papæ & cætera.

Cœmterium *vetus*, à Papa *Calisto* amplia-  
rum, ex eius nomine appellatum est, via Appia,  
lapide ab Urbe secundo, sub basilica S. Sebastia-  
ni situm: in eo Cœmterio erant catacumbæ,  
ubi aliquando iacuerunt corpora sanctorum  
Apostolorum Petri & Pauli.

Cœmterium *S. Soteris* Papæ, Cœmterio Ca-  
listi vicinum fuit.

Cœmterium *S. Zepherini* Papæ, via Appia  
propè catacumbas, & Cœmterium Calisti.  
Cœ.